5

# DE MEDICAMENTO PVRGANTE QVARTA DIE DISSERTATIO:

*IN QVA*

CVM HIPPOCRATIS, TVM GALENI auctoritatibus, tumuè validissimis rationibus quarto die non esse purgandum statuitur.


*AVCTORE*

HYACINTHO TRABONA MEDICO PHYSICO POLITIENSI.



*Imprim.* Vinc.Domin. V.G. *Imprim.* De Blaschis P.

PANORMI, Apud Alphonsum de Isola, Impressorem Curiæ Archiepiscopalis, M. DC. XXXVI.



ILLVSTRISSIMO
PRINCIPI BAVCINÆ, ET
MARCHIONI MONTIS MAIORIS

# D. MARIANO MIGLIACCIO

ET VINTIMIGLIA.

PANORMITANAE VRBIS
PRAETORI OPTIMO.

## S. D.

DOCTOR PHYSICVS
HYACINTHVS TRABONA
POLITIENSIS.





VOD meus hic liber tuos humilis voluatur ad pedes, ne mirere, Illustrissime Princeps; Æquissimi Prætoris, cuius pro summa dignitate personam geris, opem exposcit, implorat fidem, non vt eos, quos sibi prætimet aduersarios in ius vocet: sed ne ante tuum tribunal vllam, quæ ex aliena vi posset inferri, iniuriam pertimescat; Nullo .n.


 se

se tutius munitum præsidio, quam tuis lictoribus, nullis se firmius stipatum copijs credit, quam tuis securibus: etsi præclarissimi tui vultus amicos suscipiat nutus, iniquissimi cuiusq; retortos oculos paruipendet. Nec vereor, dum hic de humanis corporibus in diro humorum conflictu medica arte regendis leges explicat sanctiores ne sua tibi caussa probetur. Tibi inquam, qui mira Prætoris arte Panormitanæ Reip. corpus ea solertia, eaq; prudentia moderaris, vt nulla perditorum Ciuium tabes appareat, nullus Sicariorum furor ardeat intestinus, nulla facinorosorum pestilentia, ne latĕter quidem, per Vrbem serpat. O me fęlicem, & Æsculapio parem, si tanta in frenanda morborum violentia polleam disciplina, quanta in compescendis improborum moribus tua apud omnes prudentia comprobatur. Quod quidem nemini mirum videri debet, si maiorum tuorum præclarissimorum virorum memoriam repetat. Quos enim optimi moderatoris spiritus cum sanguine non haurires ex ijs progenitoribus, quos nobilissimæ, totius Siciliæ Vrbes moderatores veneratæ sunt? Et vt de alijs sileam, quid silentio premam Aui tui præstantissimi viri memoriam, qui & Panormitanæ, & Messanensis Vrbis summa retinacula pari cum laude tractauit? Quod si cui forte ambitiosior videri possum, qui huius libelli frontem Illustrissimi tui nominis ornamento voluerim insignitam, munificentiæ id vertat tuæ, quæ fratri meo eiusdem tituli Abbatis nomen, & dignitatem contulit quo te omnes summæ tuæ nobilitatis caussa nominant Mar-

chionem. Tibi itaq; hunc librum trado, non modo vt ne quid iniuriæ, te Prætore inferatur: verum etiam, vt, si quid decoris ex aliorum benigna sperat voluntate, ex tuis id primum accipiat manibus: quem, vt amica fronte respicias, tua mihi præstantissima humanitas impetrabit. Vale.



# NOBILISSIMAE CIVITATIS
# MESSANAE:
## Inuictissimi totius Trinacriæ propugnaculi, & coronæ celebratissimæ Medicis eruditissimis, & Eccellentissimis.






*IFFICILE admodum existimaram (ò sapientissimi Præceptores) ac onus humeris meis senseram omnino impars licet non mediocriter emolumenti rem aduerterim, illud consulto exquirere, ac perscrutari, quod apud nostrates fere omnes in morem versum, atq; vsurpatum agnoui, quodq; in his Insulæ nostræ partibus quiq; & vt plurimum peritissimi, atq; eruditissimi Phisicæ professores, vetustas, & antiquas illas, ac tam rationabiles medicamenti purgantis indicationes videanitur non dicam adulterasse; sed immutasse, tantum ad Quartum, quasi in angustos cancellos, eas coartantes; Hinc ego veluti nouus vetustatis amator, ac antiquarum eruditionum AEmulator, vt eorum nouam sententiam comprobarem in omnibus, & singulis auctoritatibus, & argumentis inuestigandis, & causis exquirendis plurimum sudoris ac studij impertiens, nihil mihi obuiam venit huiusmodi sententiam comprobans, sed potius contrarium persuadens, & in tanta solertia hanc opinionem refellendam, ac concul-*


*can-*


candam fui, vt impatiens potius, quam sapiens duxerim hæc scribēda. In his autem commutationibus nullam obseruationis suæ rationē mihi afferunt nisi hanc, ita fieri, & faciendum, quod ita, obseruatur; & plurimum apud hos valet consuetudo, & temporis obseruantia; ac si medicina non esset scientia, sed quoddam indifferens beneplacitum, vel cuiuscumq; mentis arbitratus; quare varijs cordis angoribus afficiebar; sed maioribus vexari molestijs, grauioribusq; intellectus perturbationibus me cōcuti animaduerti; cum ad sapientissimum istius nobilissimæ Ciuitatis, ac penè diuinum accesserim oraculum Ioannem Baptistam Cortesium virum præcæteris omnibus eruditissimum, cum scilicet in illius Miscellariam legendam inciderim, vbi, cum multa, ac plurima scitu digna circa hanc materiam dissertissimè digerat, prædictam illorum opinionem pluribus auctoritatibus, ac rationibus illum amplectentem comperui, eamq; scriptis suis illustrare elaborantem; quam ob rem omni; qua decuerat reuerentia, ac tota animi obseruantia eum tamquam alterum AEsculapiū consulendum, ac per epistolas percunctandum, censui circa huiusmodi rei intelligentiam: qui se tantis oneribus prœmi susceptarum rerum, & iam institutarum, & præcipue tertij voluminis edendi dicebat, quibus rebus molestissime detinebatur, quod cæteris implicari sibi denegatum esset. Attamen videtur ille innuere methodum hanc Doctissimis huiusmodi Vrbis nobilissimæ medicis probari, obseruariq; vehementer; in quibus (quod pace omnium dixerim) quot capita, tot aduerto sententias, hosq; ego non antiquis constitutionibus adiutos; sed quendam virum Neapolitanum, qui forte tota huiusmodi doctrinæ semina Messanæ Vrbe nobilissima effunderit secutos fuisse arbitror, cum morem hunc in febre ardente à quibusdam seruari tempore suo referat Altimarus citando capite. Quo circa apud omnes nobilissimæ istius ciuitatis, ac doctissimi collegij viros optimos, atq; peritissimos (quibus memetipsum perpetuum obtestor, & seruum, & fautorem) veniam, ac pacem mihi affuturam spero, si libellum hunc in lucem dandum curauerim, non vt ingenij acumine celebris, vel suauis in doctrinis adducendis iudicer; verùm, vt


quid.

*quidquid sentio agnoscatur, & mea elucescat opinio: meis autem dictis, si quando oppugnari accepero tamquam à versatis in materia non minimæ speculationis illius rei veritatem (cuius addiscēdæ ardeo cupiditate incredibili, neque, vt censeo repræhendenda) me nactum fuisse persuar; si verò aliquid incongruum in hoc libello iamiam in lucem mittendo, seu petulans vestris auribus intonuerit, id arrogantiæ nota, vel audaciæ nomine indignum, depræcor, habeatis; sed tamquam veritatis cultorem, & veri percupidum tueamini. Accipite ergo hanc ingenij mei elaborationem vos omnes viri sublimi mentis acie, & intellectus acumine nobilissimi, vndequaq; peritissimi, vt qui totam rei veritatem à vestris omnium doctrinis hauriri, eamq; optime callere optem, & me, cum illis quæquumq; sint, in famulum offero, & dedico.*









PERQVAM celebris, non minusq; difficilis, tùm inter priscos, tùm inter neotericos Medicinæ Doctores ardua illa adest difficultas; An non turgente materia in morbi principio medicamentum purgans, adhibitum ratione sit? Affirmatiuam tenentes multis auctoritatibus, rationibusq; enixè probare conantur. Contrariam viuioribus auctoritatibus, efficacioribusq; rationibus confirmant. Tanti priuilegiati præsidij inter has mediam adducere sententiam non desunt limitantes, ac secundum placitum modò vnam, modò alteram cohartantes. Alij verò vtramquè conciliantes proinde (iudicio meo) cum nulla circa hoc superesset inagitata difficultas, ob id fortè (vt nouum suscitarent) in lucem miserunt, scilicet, quarto die semper esse purgandum. Cuius vsus, nè dicam abusus est tantæ vis apud nostri temporis quamplurimos Medicos, quod omne necessaria prætermissa de purgante medicamento consideratione, quarto audito indistinctè Pharmacum adhibere minimè verentur. In tanta enim est consuetudine, adeoquè confidunt huiusmodi purgationi, quarto factæ, vt existiment non purgatos tunc temporis omninò esse interituros, quod si ad salutem perducantur, intermissa eo die purgatione, dicunt hi, non esse ex arte factum, sed curatos

esse eos casu, & fortuna. Quam sententiam doctissimo referente Ioanne Baptista Cortesio Decad. 7. cap. 6. auctoritate præsertim Hyp. & ratione confirmant dicentes, Hyppocrat. lib. 4. acut. scriptum reliquisse oportere purgare ante quintam diem, ergo quarta die, quæ immediatè præcedit quintã. Quinimmo idẽ Hyp. expræsse declarauit eodem lib. tex. 76. vbi scribit. Purgans medicamentum ministrabis quarta die, dies autem quartus est dies par, ergo die pari in febribus est purgandum. Præterea tex. 68. eiusdem 4. lib. scribit. *At si liquidum aluum habenti causos superuenerit, si tibi purgatio idonea videatur, eam non primis tribus diebus adhibebis, sed quarto*, & eodem 4. lib. 76. repetit eamdem sententiam dicens. *Primis tribus diebus esse corpus purgandum clysteribus; deinde quarta die purgandum*; est, & alia auctoritas ab eodem Hyp. desumpta à lib. 4. de morbis, vbi tex. rescribit. *Quicumque à febre continua vsi sunt Pharmaco diebus paribus, vnquam super purgati sunt: qui econtra diebũs imparibus forti vsi sunt medicamentum, minime sunt purgati*. Ne igitur fiat nimia purgatio, opus est diebus paribus purgare, sed quartus dies est dies par, ergo die quarto purgandum; Quam sententiam rationibus confirmari conantur. Quas, nè eadem sæpius diuersis locis repetere videar, suo loco adducam. Concludunt denique satius est die pari medicamentum purgans administrare & signanter die quarta, qua nulla aptior est in prima septimana: igitur purgatio facta quarta die est tuta, & ex arte facta tamquam in die minimè iudicatoria.

Etsi sapientissimus Cortesius circa hanc difficultatem pro contraque rationes adducat: tamen ad affirmatiuã sententiam inclinare videtur asserens. *Hæc difficultas non spernenda, & quæ plurima ingenia hactenus contorsit*, eam probabilem facit.

Secundò supponit verè auctoritates, concludere quarta die esse purgandum dùm Mercurialis doctrinam confutat

*Hinc*

*Hinc apparet, quia Gal:4acut. 76. scribit se purgasse quarta die, quæ est dies par, hoc idem fecisse Hyp. auctoritatibus supra allatis, licet clarius apparet,*

Tertiò ex eius determinatione patet pro qua multa supponit, quorum ea tantum adducam, quæ ad meum institutum facere pendo. Vnum enim est, quæsitum huiusmodi versari potissimum circa morbos acutos. Alterum est supposito in principio esse purgandum. His, alijsque suppositis ita sententiam limitat. Purgatio in prima septimana potest contingere duobus modis, pro diuersitate materiæ nam, vel materia biliosa est sola, & adusta, & putrefacta, atque tenuis, vel sola, quidem, sed crassa, & vitellina, ac etiam eruginosa, vel non sola est, sed alijs humoribus mixta, siuè pituitæ, siuè melancoliæ; si primo modo diebus imparibus mouetur vehementer, scilicet in primo, tertio, quinto, & ita primus dies purgationis esset secundus; deinde quartus, tertio verò sextus in alijs verò non licet, quia humor biliosus consueuit facere vehementes mutationes his diebus, vnde periculum esset de superflua purgatione. Deinde fieri potest, vt materia morbifica ita a principijs moueatur vsq; ad quartum benigna appareat; quinta verò vehementer exasperetur, & faciat accessionem vehementẽ, & tunc die sexta si opus est, licet purgari, quia sextus dies tunc habet rationem secundi diei primæ septimanæ, octauus quarti.

Secundo modo si accessiones exasperentur diebus paribus tertia die, & etiam prima fas sit vti medicamento purgante, similiter quinta, ac etiam septima; & ratio est, quia, si materia quæ facit huiusmodi morbos biliosa sit, cum tamen ea esse possit, crassa, & vitellina, vel admixta pituitæ, quæ tardum habet motum exasperari quidem poterit hac de causa diebus paribus, ac proinde in illis non erit purgandum: statuendum igitur est dies purgationis accommodatos in prima septimana esse posse primum, tertium, quintum, & septimum, quia

 his

his diebus in dictis morbis numquam ſolet fieri vehemens materiæ morbificæ motus, aut ſaltem rarè.

Inſuper rectè ſtatuendum eſt ex Hyp. & Gal. diebus tam imparibus, quàm paribus fieri criſes, proinde etiam, & ad ipſius naturæ imitationem poſſe Medicum tàm diebus paribus quàm imparibus facere purgationem, habita tamen conſideratione ſuperius explicata; namq; in prioribus febribus, aut alijs morbis quarta die non fit iuditium, neq; aliquid iudicari poteſt in ea: igitur purgari tutò poteſt, & hoc eſt quod dicebat Hippocr. quæ rectè conſiderantes Meſſanenſes Medici oppoſitè inſtituunt purgationem quarta die, aut alijs paribus purgare. Vnde ſapienter Gal. ſe aliquando purgaſſe ſecunda die, aut quinta die. hæc Corteſius.

Ex auctoritatibus adductis, & rationibus adducendis elici nullo modo poſſet purgationem die quarto tutam eſſe, & ex arte factam etiam (meo iuditio) ſecundum Doctiſſimi Corteſij limitationem: vt egredior explicare. ſuppoſito prius meum, pro modo, non eſſe ſtature. An diebus paribus, vel imparibus; neq; ſi in principio non turgente materia purgandum ſit; quod ſi fortè fortuna, ex adducendis ad probandum purgationem quarto die non eſſe tutam, neq; ex arte factam elici videatur veram die ſuo interpretationem ſeſeruo.

Siquiſpiam verò negotij realitatem perquirere, cupit, occaſione hac, vt eum querendi locos citando elabore excutiam non ſolum loca citare; verum etiam formalia verba recitare volui, ea tantum ſcilicet, quæ in promptu, & præ manibus habeo: cum innumerabilia pro veritatis huius dilucidatione afferre poſſem.

## *PRIMA AVCTORITAS.*

QVarti libri acutorum 64. primus eſt in ordine textus quo ſuam ſententiam probare conantur; hanc, & alia

(vt

( vt elucescat nullam ad esse particulam, ex qua elici possit, quòd probare tentant ) non solum fideliter adducere, sed singulas explicare non tædet. *Hos si ab initio purgare volueris, id ante diem quintum facito, vbi venter murmurauerit: si non, à medicamentis abstineto. Verum, si murmurauerit, fuerintq; excrementa biliosa, scamonia mediocriter subpurgato. Quantum verò ad aliam pertinet sanationem quàm minimè exhibebis tùm potus, tùm sorbitiones, vt melius æger habeat, nisi decima quarta fuerit egressus.* Hos est prima consideranda particula, quæ cum sit terminus syncathegorematicus ex se solitariè nihil significans, sed cum alio iunctus præsentem superiori textui continuare patet: qui incipit. *Quibus per febres crura turberculosa fiunt, &c.* Hos scilicet, quibus per febres &c. In quibus videtur turgere materiam vt ex textus, & commenti Gal: lectura clarè colligitur. *Existimabit profectò quis sursum factam humorum, qui crus infestabant transmutationem quæ in horum transitu suffocationem homini peperit. Et si reliqua benè fiant rursum ad pedes decumbere huic dolor poterit. Et si post hæc non soluta fuerint symptomata, reuersa iterũ ad superiores partes humorum, copia, dolores pariet in collo, clauicula, humero, & pectore.* Quod clarius in sextæ particulæ explicatione. Vnde vniuersalis consequentia locum non habere conspicitur. Hos scilicet quibus per febres &c: ergo omnibus, & semper conuenit huiusmodi purgatio non sequitur, nisi in quibus turget materia, vel quibus per febres turberculosa, &c.

Secunda particula est (si) ratione qua propositio conditionalis euadit. De qua infra diffusius.

Tertia particula est (Ab initio) ergo in quarto; negatur consequentia; cum ly, Ab initio, non dicat determinatum diem, sed tempus contradistinctum ab augmento, statu, & declinatione, & non primum neq; secundùm, neq; tertium diem &c, cum quandoq; vnum, quandoq; duos, quandoq; plu-

plures dies principium comprehendat, atq; finiatur. Et ita non valere patet ab initio; ergo in quarto quoniam cæteri excluderentur dies in quibus ab initio est purgandum sicuti est. V. G. primus in quo non raro purgandum; vt docet Hyp. 4. aphor. 10. *Medicari in valde acutis si materia turget eadē die. Tardare enim in talibus malum est* vt in casu tex. 64. cit. Auic. lib. 4. semi 1. tract. 2. cap. 7. aduerit. *Pleuriticum, & aliud si dimictatur, & faciat cadere in timore ante tempus in quo expectetur digestio eius, & illud est per longitudinem temporis* si nos verò vsq; ad quartum protrahimus purgationem, non solum esset; verum etiam principium pertransiret, & ita purgatio ab initio non erit, vt in tex hic auctor iubet. *Hos si ab initio purgare volueris*. In acutis enim in quibus cōuenit medicamentum initium est adeo breue, vt numquam ad quartum perueniat vt Gal. 1. de cris. cap. 4 & 7. exemplificat etiam ex Hyp. sententia 1. epid Tex. 10. ( & cap. 8. vt infra, ) & cap. 19. habet. *Sicuti integre cruditatis inditia, quibus inprimis quatuor diebus permanet longum erit huiusmodi morbi principij tempus* Quare non valet consequentia, ab initio: ergo in quarto. Quoniam si per principium intelligi volumus primam morbi egressionem, non peruenit vsq; ad quartum, cum simplex sit, & nullam habeat latitudinem ad quartam peruenire non potest; si vero pro conspatio quousq; ad tertium, vel ad quartum diem extenditur quartus non includitur in principio, cum vsq; eum tantum extendatur. Hinc in eo ita intellecto non est ab initio purgatio. Si deniq; per totius morbi partem cum scilicet, in principium augmentum, statum, & declinationem morbi diuisio sit sicuti est medici consideratio, vt docet Gal. 1. de cris. cap. 8, *De solo tertio differem⁹ videlicet cruditatis, et hui⁹ artificiosa quædā dignotio, & magna ostendere natura apta est*. Est indeterminate latitudinis sicuti eiusdem de cris. cap. 7. *Quemadmodum igitur principij vocabulum nullum determinatum tempus significat*.

Et

Et cap. 19. præclarius replicat. *Quæ quidem pars morbi, seu eiusq; principium nullum habet deteminatum tempus.*

Si initij tempus est in determinatum, & in eo est purgandum, ergo in quo purgandum est etiam indeterminatus, & incertus: vnde non valet ab initio, ergo in quarto; quia ita solus quartus esset ab initio, & excluderentur primus, & secundus, quod expresse negat Gal. vt postmodum dicetur. Notato primo, Principium, & cætera tempora morborum non solum habere latitudinem, vt patet ex dictis, & ex pluribus auctoritatibus Hyp. probat Gal. de totius morbi temp. cap. 20. p. de cris. cap. 6. & 7. sed etiam variabilem modò breuem, modò longam, modò medio modò se habentem, quod neminem latet: & nos docet Gal. cit. 1. de cris. cap. 4. aliquando est, prima accessio, secunda verò augmenti, aliquando tertia, aliquando quarta. *Sicuti numquam omnes morbi augmentum, aut statum, aut declinationem æqualis habent temporis; eodem arbitror modo neq; principium, neq; tamen si quispiam primam accessionem præterierit: cum post principium circumscribere. Nam si secundus statim subsequitur, qui habet augmenti inditia, & post ipsum tertia & quarta, & sic de alijs, deinceps.* Quod pluries iterat cap. 6. & 7. *Post apparent autē quædam statim prima die, quædam secunda, quædam in tertia, quædam in quarta, quædam cum præcesserit morbus.* Quod dixisset etiam patet cap. 2. & 8. *Si autem longior morbus fuerit quam triduanus aut quatriduanus principium secundum latitudinem, manifeste nobis ostendens vsq; ad tertium diem extendi: dierum autem vniscumq; morbi principium, quod etiam partem ipsius esse dicimus, vsq; ad multos quaternarios esse contigit: tunc enim principium finitur, cum coctionis signa apparuerint, & tunc incipit ascensus.* Si signis coctionis finitur, & limitatur principium, ergo non numero dierum, vt iudicant hi, quos reprehendit Gal. 1. de cris. cap. 2. *Diffinierunt autem non dierum, vel horarum, vt quispiam existimauerit, numero, neq; enim*

*enim fieri potest; vt morbus, qui in quatuor diebus sit finiturus æqualia habeat tempora partium cum eo, qui vsq; ad quatragesimum diem debet extendi.* In vna, & eadem specie morbi hoc etiam contigit, vt 1. de cris. cap. 4. ex Hyp. sententia 1. aphor. 12. luculenter probat Gal. *veluti enim in morbo laterali, si sputum statim, morbo incipiente apparet, breuem futuram significat; si verò posterius longiorem.* vt euenit Anaxioni, qui post decimum septimum diem incepit expuere; de quibus citato de Cris. cap. 5. ita habet Gal. *Quando hoc cito apparuerit, morbum facit breuiorem, cum verò nullo modo educitur, aut crudum, indicat morbum, in longius debere protendi.* Quod repetit lib. de morb. acut. com. 23. *Estiuæ quartanæ breues, autumnales verò longæ, & præcipue, quæ hyemem attingunt* 2. aphor. 25. & multis exemplis præclare cap. 8. citat. de cris. explicare nititur, & 1. aphor. 12. *Quin etiam tertiana, licet ipsa sit alioquin celeris iudicationis, æstate tamen celerius multum, quam hyeme iudicari solet.* in quo loco hoc expressè docere elaborat quoniam cognoscere hoc 1. de cris. cap. 16. *Valde ad vsum artis sit necessarium hoc iam transigemus, propositum enim est à primo die saltem tantum cognoscere quod vel primo quaternario, vel secundo morbus decernetur,* & lib. 2. cap. 1. *At cum id quod est maximũ, ac summoperè necessarium ad hæc omnia iam ostenderemus morborum, scilicet tempora iam præsentia cognoscere, & futura præcognoscere: deindè vniuscumq; ægritudinis, cognitiones, & præcognitiones annotauimus.* Sicut enim est valde necessarium non est, tamen minus, sed valdè difficile: idcirco cum Hyppocrate omnes, vt depromerent, nec ærumnæ, neq; labori parcere, voluere: quare idem Hyp. suis omnibus in operibus præter hanc breuitatẽ amplectitur (vt Mercurialis 1. aphor. 12. notat) longam conficiens orationem *Morbi vero ipsi, & anni tempora, & periodiorum inter se proportionis obseruatio, siuè hæ quotidie, siuè alternis, siuè maiori interuallo fiant, paroxysmos, & statum*

*morbi*

*morbi indicabunt, sed ex ijs, quæ postea apparent, inditia sumuntur; veluti in pleuritide sputum, si statim initio appareat, breuem forè denuntiat; si verò posterius conspiciatur longam. Quin etiam vrinæ, alui feces, sudores, & iudicatu faciles, aut difficiles, & breues, aut longas morbos fore, quum superueniunt, demonstrant.* Quem Aphorismum ob mirificam necessitatem non contentus Gal. commentare 1. de cris. cap. 4. 5. & 6. multipliciter replicare, sed per totum librum, & lib. 3. cap. 4. singula sigillatim accurratè explicare elaborat; vt tēpora scilicet morborum cognoscere, atq; præcognoscere valeamus; & de Theriaca ad Pisonem ità cap. 4. scribit. *Præterea quibus in morbis morbi ætate, valitudinis species, victus qualitate, anni tempore conuenienter exibeatur, & id genus reliqua. Per hæc itaq; vt vides summatim nos instruit, monteq; vt medicinarum naturam intelligamus, vt tempus, quo sumi debeant, exploremus, &c.*

Quoniam secundum temporum diuersitatem diuersa sunt adhibenda præsidia: si verò huiusmodi ignoratur latitudo nullum tute, & ex arte adhiberi potest præsidium; vt luce fulgentius, de victus ratione patet. Si de victus verò ratione; quanto magis de medicamento purgante dicendum? cum alimentum non cogat naturam, vt à suo munere, puta à concoquendo peccantes humores distrahatur, nam alimentum non habet incorpore nostro nisi rationem passi, vt docet Gal. 3. de tempera: cap. 4. si aliquando distrabitur non est actione alimenti, sed quia tunc natura occupatur in digerendum multum cibum, ex Gal. 1. aphor. 5. *Ad hæc præstat naturam sinere, coctioni morbi vacare per eius vigorem, quam inde cum ad cibum modo sumptum mitigandum, conficiendumq; abstrahere.* Et ex Auicenna lib. 1. fen. 4. doct. 5. cap. 1. ob id fortasse licet errare in paulo pleniori 1. aphor. 5.

Medicamentum vero purgans cogit, irritat, attrahit, stimulatq; naturam: quia habet in corpore nostro rationem

 agentis

agentis cit. de temp. cap. 4. & 4. acut 44. ad operandum, scilicet quod forte fortuna, non raro natura contrarium intendit, cum hæc sit differentia inter medicamentum, & alimentum docente Gal. 3. simp. med. faeul. cap. 3. *Etenim cum medicamentum ab alimento discernimus, quod medicamentum in qualitate alterat, alimentum verò substantiæ corporis assimilatur.*

Si hoc est verum sicuti est verissimum, tot esse necessaria ad morbi temporum cognitionem propter eorum variabilem latitudinem, vt rectè præsidia tempore opportuno adhibeantur, non sufficit cognitio quarti pro principij notitia, vt in eo tutè, & ex arte adhibeatur purgans medicamentum, cum initij latitudo, nec præcognosci neq; cognosci numero dierum possit, vt perbellè nos docet Cælsus lib. 3. de re medica cap. 4. *Verum in his quidem antiquos tunc celebres admodum Pytagorici numeri fefellerunt, cum hic quoq; Medicus non numerare dies debeat, est ipsas accessiones intueri ex his coniectari quando dandus cibus sit.*

Sit sicuti cætera tempora, morbi principium dierum numero cognosci non potest, neq; Medicus numerare dies adhoc debet, male sensiunt hi quarto die adhibere medicamentum, & quarti ratione tutum esse, & ex arte factum, & præcipue in morbis acutis, in quibus vult sapientissimus Cortesius eorum sententiam veritatem habere, quorum morborum principium vsq; ad quartum non perdurat, vt satis probatum est idcirco in quarto non est tuta, & ex arte facta purgatio, tamquā ab initio: quoniam quartus in eis est saltem in augmento 1. de cris. cap. 2. *Sed habente adhuc quarta si ita contingerit accessione inditia augmenti.* In quo melius est quietem habere, cum incipiat coctio, & fiat in quiete nullo modo tunc est purgandum alioquin impederetur coctio. vt 4. de ract. vict. 44. habet Hyp. *Ventrem ab initio clysteres duces, sed medicamenta purgantia non mouebis; nempè si ventrem moueris, vrina non*

*matu-*

*maturabitur, febres citra, tum sudorem, tum iudicationem in longum, protraheretur tempus.* Dicant modo si tuta est in quarto purgatio? cum dicat Gal. in com. *Quod si hæc coctioni humorum conferant purgationes contrariæ existunt nempè corpus vehementer mouentes frangunt; tali siquidem virtute prædicta sunt omnia, quæ purgant medicamenta.* Tunc cum Medicus sit minister naturæ, bene iudicare neutiquam valentis, nisi præcedente coctione, dum ei incumbit, eam distrahere non debet; quam valdè distraheret, adhibito quarto die medicamento purgante; quoniam, cum quartus sit in augmento, in eo fiat coctio, & signa appareant coctionis, vel contraria, vt ex infra dicendis patebit, & sic non erit ab initio in quarto purgatio, vt auctor. 4. de vict. ract. sed in augmento, in quo expressè ipsemet negat auctor. ( vt ex proprio eligo citato textu) qui, vt se conformem reddat Hyp. 2. aphor. 29. *Incipientibus morbis, si quid tibi videtur, mouendum, moue; vigentibus autem quiescere multo præstat.* Dum scilicet coctio fit, cum eo tempore maxime coctioni natura incumbat, vacuare docente Gal. in com. fuerit superuacaneum subdit. *Quod verò ad aliã pertinet sanationem, quam minime exhibebis, tum potus, tum sorbitiones, vt melius æger habeat, nisi decima quarta fuerit egressus.* Cum enim docuisset ab initio esse purgandum, vt augmentum excluderet ne impediatur coctio non solum medicamentum, verum etiam sorbitiones, potumq; prohibet, vt natura materiam conquoquat, iuxta illud. *Cum morbus in suo vigore consistit, tunc tenuissimo cibo, est vtendum.* Quod etiam Tex. 4. eiusdem 4. lib. docuisse patet. *Cum iudicatio prope fuerit sorbitiones ne dederis, si perturbetur, sed cum perturbatio desierit, atq; melius perfectum sit.* Vt totum explicat Gal. in huiusmodi commemor. *Qua oratione ante quartum decimum coctum non esse posse significatur.* Si initium finitur ante quartum, & incipit ascensus in quo hic auctor non solum purgationem verum etiam potus, & sorbitiones

negat, quanto magis purgationem, vt consideranti patet?

Hac fouente mihi opportunitate hanc augmenti doctrinā adducere volui: quam omittere potuissem, sed quoniam huiusmodi nostri temporis medici quaternarij, male intelligentes: si in quarto aliquod vix coctionis signum videant, tunc liberius in eo medicamentum adhibent quo signo tutiorem esse purgationem affirmant. quod si purgandum sit in prima septimana quis tutior quarto die? in eo apparente coctione. Hinc conficere possunt rationem. Tunc conuenit purgatio cum apparet coctio; ergo quarto conuenit purgatio: & ita est tuta, & ex arte facta, tam si in principio, quam si in augmento. Antecedens est Fernelij 3. suo met. med. cap. 12. & rationibus probatur. Nam humores secundum omnes partes simul vnoquoq; tempore non possunt concoqui; ob eorum enim differentiam, & varietatem, clare conspicitur vnam partem faciliùs, & tardiùs à natura superari. Ergo si accidat, vt humorum proportio, cum cocta fuerit, quare non, cum enim iam cocta sit? ac proinde ad purgationem idonea, nō solum frustra sed etiam non sine periculo videtur posse diutius in corpore detineri.

Secundo si portionem humoris cocti non purgamus ante exquisitam perfectamq; omnium coctionem, vt nullus vnquā purgantibus medicamentis opportunus sit solus fateamur necesse est, nisi in declinatione, quod vnum tempus videtur commodum medicamentis; sed tunc videtur vsus medicamēti inutilis, propterea, quia iàm natura superauit, ægerq; est immunis periculi.

Tertio auctoritate Hyp. 1. aphor. 22. iubet enim medicare cocta quouis modo, euitat enim cruda absolutè, propterea purgationem laudat. 4. de ract. vict. in morb. acut. 43. *Si lotia nebulosa fuerint, & crassa*. Quæ profectò crassities, ac nebula minimè exquisitam coctionem demonstrant Galenus verò tantummodo vbi summa est cruditas improbat com: 44.

cur

cur autem eos purgare haud vellit in quibus summa est cruditas; causam epilogisticam recenset.

Quarto testatur Gal. in febre quartana, & in alijs morbis non semel, sed bis, & sæpius purgantibus vsus fuisse, quod alia ratione fieri nō poterit; nisi seruata hæc alterna humorū coctione. Cum verò in quarto appareat huiusmodi coctio in quarto purgatio est tuta, & ex arte facta, tam si est in principio, quam si est in augmento. Antecedens patet ex supradictis, & est præcipua ratio in quarto non conuenire medicamentum, quia in eo apparet, & fit coctio.

Deniq; confirmari potest sententia illorum dicentium principium duas habere partes primam scilicet, & vltimam in prima dicunt iuditia esse mala, & ex consequenti purgatio in vltima vero non mala, sed potius bona ergo si in initio debet fieri purgatio, in tutiore, & in qua die iuditia solent esse bona, cum Medicus sit minister naturæ; sed quartus est vltima pars initij, vt patet ex dictis; ergo in eo tuta est, & ex arte facta purgatio tamquam ab initio.

Relictis probabilioris sententiæ responsionibus dico primo, cum Gal. in principio nullum apparere signum coctionis; sed in augmento, quod est ab omni parte principij distinctū, vt de totius morb. temp. in fine cap. 3. *Vbi coctio incipit initium finire.* Et 1. de cris. cap. 9. *Quod verò Hyp. vocat principium totum illud tempus, in quo omnino crudus est, iam liquet; nam cum antea dixisset, quod cocta pharmaco purgare oportet, subiunxit, non cruda, neq; in principijs. ac si principium existat, quando crudus, incoctusq; est morbus* Et Auicen. lib. 4. Sen. 1. tract. 1. cap. 3. *Augmentum quidem est hora, in qua caliditas innata ad resistendum materiei motu manifesto, & apparent signa coctionis aut contraria digestioni.* Ex quibus locis optime ferruminat Iulius Cæsar Barcellus lib. 2. de Hynodroma natura cap. 31. *Morbi etiam principium pluribus alijs morbis à Medicis designatur; a Gal. autem Auicen.*

&

*& selectioribus pro ea morbi parte capitur, quæ non dierum numero; sed signis coctionis terminatur.*

Secundo hac tantum distintione (quæ rei à me probanda proficiscitur) spero omne vanũ adductum, forè, vt euanescat; Qua propter maiorem negando, omnibus probationibus respondeo. Rationes, auctoritatesque dupplicíter intelligi posse. eo quod concoquitur, siue sit totum, siuè pars, dum concoquitur, nullo modo competit medicamentum cum coctio fiat in quiete, & conturbaretur a b eo: Alio modo id, quod concoquitur, est secundum vnam partem perfectè coctum; secundum aliam verò non; & hoc modo potest habere aliquam probabilitatem doctrina superius allata, cum tantũ illa pars esset purganda, quæ cocta est, non autem, quæ cõcoquitur, cum non sit adhuc cocta, sicuti in quarto accidit, quamuis in eo concoquatur. Quando enim dicitur, coctio quarto fit, atq; apparet, est primo modo, proindè non sequitur eo die conuenire medicamentum, vt auctoritatibus, & rationibus probare opinantur.

Quarta particula est (Purgare volueris) quæ, cum non sit imperatiua; sed libera, non est necessaria, vt concludi possit semper esse purgandum: vt dicetur infra.

Quinta particula est (Ante quintum) quæ causa præcipua malè huius textus interpretationis existit. Quoniam legunt Antequintum, concludunt; ergo in quarto; quod nullo modo neq; intelligi, neq; concludi potest. Nam si huiusmodi particula absoluté, & ab alijs particulis disiunctim cõsideratur, Ante quintum includit omnes antecedentes dies, & non solum quartum, cæterosq; excludit: quoniam dixisset in quarto, & non ante quintum, vel dixisset, vt Gal. 1. de dieb. decret. cap. 11. versus finem, vt diem designaret, quoniam quispiam potuerat intellegere ante septimum omnes dies sicuti intelligendi sunt hic, omnes ante quintum, dixit. *Vbi septimus dies instat nunquàm ægrum nutrire conuenit; sed ante*

*ante vnum diem, vel ante minus* Addidit *vnum diem, vel ante minus*. Quia si excluderet cæteras, ante quintum esset, quod opponeretur eis, & non valeret; Ante quintum, ergo in primo, vel secundo, vel tertio, quòd asserere esset, erroneum; neq; excludit eos per inclusionem, vt ipsi putant cum ly, ante quintum, non dicat immediationem; sed oppositionem ad post; cum non valeat dicere fuit ante incarnationem; ergo punto, vel die immediato ante incarnationem. Morbi acuti decima quarta die terminantur, vel ante; ergo decima tertia. Tertiana exquisita decima quarta die terminatur, quod tempus est longissimum, quod idem est, quod non post terminatur; sed ante decimum quartum quandoq; scilicet in primo, quandoq; nono, quandoq; vndecimo, vt habet Auicen. lib. 4. fen. 2. tract. 2. cap. 3. *Qua propter expectetur in tertiana vndecimus, & non expectetur decimus quartus, nisi parum, quamuis secundum plurimum paroxysmi septimi declinent a decimo quarto parumper*. Cum enim cæteri dies sint ante quintum, & ante non opponantur eis sicuti opponitur illis post, sequitur in omnibus ante quintum purgandum, & non tantum in quarto.

Ad maiorem vero veritatis dilucidationem absolute huiusmodi considerabi particulam; & si non esset ità consideranda, cum nō ex terminis; sed ex propositionibus, orationibusq; conclusio inferatur, scilicet ab initio ante quintum (& ita idiotis patet) nullo modo concludendum, ergo in quarto; sed ab initio ante quintum, die scilicet habente initij rationem, quòd non solum quartus; sed etiam primus, secundus, & tertius, principij rationem habere possunt; ergo in illis etiam purgandum, quia adhoc, vt sit per textum aliquo die purgandum non satis est, esse ante quintum; sed etiam debet habere principij rationem. Et ità ly Ante quintum, non dicit immediationem; sed aduertit, principium in casu non posse esse post quintum. Vnde non valet, ergo in quarto

tan-

tantum, quia est immediàtus dies ante quintum.

Si satisfacti ex dictis non sunt, legant textum, quem quo magis lego, eó magis eligo per eum quarto non esse purgãdum, nonnè ad purgationem in istis per hunc textum requiritur murmur ventris? Quæ est sexta particula considerãda. *Quibus per febres crura turberculosa.* Non conuenit medicamentum, nisi murmurauerit venter, quod vt aduertat auctor, non solum replicat, *si non murmurauerit, à medicamento abstineto.* Verum etiam tertior plicare vult. *Verum si non murmurauerit.* Quia potuerat quispiam hunc intelligere textum absolutè, vt loqui videtur aphorismus. *Si quid tali videtur mouendum, moue.* Vbi nulla ventris murmurationis mentio fit, quæ murmuratio. *Quibus per febres crura tuberculosa* est valde necessaria ad purgationem, ob id replicat, atq; iterum replicat. *Vbi venter murmurauerit, si non a medicamentis abstineto. Verum, si murmurauerit est.* Cum non videatur ei. *Quibus per febres.* Satis esse ad purgationem quamcumq; humorum motionem; sed eam, quæ ad ventrem inclinat, sicuti aduertit Gal. in com. *Ait si quidem considerandam aluum, qua permutatione cognita, purgandum esse præcipit.* Et innuere etiam videtur Hyp. 4. aphor. 20. & Auicen. lib. 4. fen. 1. tract. 1. cap. 7. *Quod si fuerit illi inclinatio, cum intestina, & senseris rugitum, & descensum fuisse, tunc adhibe quod soluat ventrem.* Vt totum diuinissimè Franciscus Vallesius 7. epid. tex. 106. explicat. *Non solum intelligere eam reciprocã à partibus in partes mutationem: sed etiam ad euacuationis viam præcipuam in aluum qualis, in quibus significatur hypochondriorum murmure, luet, & iam ante coctionem: quia quæ spontè fluunt, facile trahuntur.* Quod etiam replicat. 4. de ract. vict. acut. 65. *Hoc ad curationem omnium acutorum morborum mihi videtur pertinere, nihil enim est aliud, quam quod in aphoris: dicitur; nam quod illic dixit inchoantibus morbis; Si quid videtur mouendum moue: hoc, hic, hos, si ab initio*

pru-

*purgare volueris, nimirum voles purgare, cum videtur, atq; tunc inchoantibus morbis facies, videris autem debet, cum materia turget huc, & illuc reciprocè acta: sed vt cumq; succi quieti non sunt, cum fuerunt versus ventrem, &c.*

Si tunc est purgandum per hunc textum, ante quintum ab initio, cum venter murmurat, quòd significat versus ventrem turgere materiam, ergo in principio, & non in augmẽto, & cum apparent coctionis signa, vel contraria, cum illo tunc materia turgere non possit, sequitur, in quarto non esse purgandum; nisi habeat rationem principij, & in eo ita turgeat materia; ergo non ratione immediationis, neq; si in eo apparent signa coctionis, vel contraria; vt ex textu luce clarius, nec non exsupradictis patet, & in discursu patebit.

Si deniq; consideratur textus, vt verè, & realiter est considerandus secundum scilicet omnes particulas cõiuncti, est propositio cõditionalis, plures còtinens cõditiones.s.Hos, si, Ab initio, Ante quintum, & si venter murmurauerit; sed ex condi ionali ad vniuersale non valet consequentia; vt tota Logicorum schola tenet, sequitur non concludendum per hunc textum esse semper purgandum, & in quarto ratione tantum immediationis ante quintum ab ipsis attributa; sed ab initio, si venter murmurauerit ante quintum, cum textus hic intelligatur sicuti Aphorismi; vt docent Gal.& Vallesius. *Concocta medicare, &c. Si quid videtur mouendum moue.* Ex quibus apho: nemo elicit, purgandum ante quintum, tantum in quarto: sed in principio, turgente materia, & non ratione immediationis; sed ab initio ante quintum die illo, quo venter murmurauerit, cuius principij rationem dies ille habet maiorem, qui magis à statu recedit, sed primus, secundus, & tertius, magis, quam quartus à statu recedunt; ergo in illis potius, & non in quarto initij ratione, si turget materia, purgandum.

Incidunt enim isti in quem errorem lapsus est, qui hunc

 con-

confecit librum referente Gal. com. tex. 63. *His hæc omnia, quæ dicta sunt deinceps inter se se contemplatus vniuersalem quemdam particulari ex obseruatione sermonem temerè fecisse mihi videtur.* Cuilibet consideranti dicta, est manifestum, nec per hunc textum, nec per vllam eius particulam concludi quarto purgandum esse.

## *SECVNDA AVCTORITAS.*

PRæcedentem auctoritatem hac secunda confirmare, ac declarare opinantur, cum hic textus 76. dicat *Purgans medicamento ministrabit quarto die.* Inferunt etiam quartus dies est dies par: ergo die pari est purgandum.

Eis satis esse deberet ex hac auctoritate asserere quarto nō esse purgandum Gal. interpretatio in com. *Quarto vero die medicamentum indistintè pronuntiauit, neq; enim inter initia aliquod remediorum huiusmodi ægroto iniungere oportet desumpto a numero dierum scopo: sed quod Hyp. recenset est exequendum, vel statim ab initio, prius, quam in partem aliquam firmati sint, vel postea cum cocti fuerint.* Et contra hanc Gal. expositionem quarto esse purgandum indistintè asserere male, & ad placitum interpetratata auctoritate. dicere de Galeno possum sicut ipsemet Gal. de Hyp. dicit lib. si quis optimus medicus. *Sic multis Medicis euenire videmus, qui cum Hyppocratem laudent, & in arte medendi cæteris anteponant, ipsi tamen omne aliud potius agunt, quam, vt ei, quem prædicāt, similes efficiantur.* Vt luce verò clarius, quam male hunc textum præcedentem declarare dicant, manifestetur, & in quarto non esse purgandum, non modò formalia verba adducere; verum etiam sigillatim explicare volui. *Si verò dolor sub thorace fuerit, valdeq; infestauerit, pleuriticum ventrem supurgabis: nihilq; dum purgabitur, dabis; à purgatione autem oxymeli. Veruntamen purgans medicamentum ministrabis quar-*

*to die, tribusq; primis diebus clysteres exhibebis, quibus si non leuetur, ad huc super purgabis modum. Custodiens deinde egrũ donec ad febris priuationem, & septimum peruenerit diem: qui si in tuto esse videatur, in primis exiguum, tenuemq; cremorem cumq; melle miscens dabis, &c.* Cuius nullum est verbum superiorem declarans textum, neq; in quarto, quia quartus, esse purgandum.

Si intelligendus est enim veluti textus vndecimus secundi de ratione vict. in morb. acut. intelligitur à quo hunc suum hunc auctorem accepisse aduertit Gal. *Pleuriticum nominauit id, quod ab Hyp. in legitima libri huius parte ex dictum, vbi ita habentes pleuriticos purgat.* Scilicet in principio necesse est fateri huiusmodi purgationem esse in quarto, non tamquam in principio sicuti in præcedenti: sed in declinatione; quod ex tex. luce clarius colligitur. *Cum dolor sub thorace fuerit, valdeq; infestauerit.* Signum euidens est, ibi coeceruatum fuisse humorem, & ità pleuriticum non esse amplius in principio cum infestauerit valde dolor. *Circa initia, & fines, omnia imbecilliora, quum verò consistunt fortiora.* 2. aphor. 30. Vnde si hic quarto purgare iubet non tamquam in principio, sed in declinatione: cum in inflammationibus in principio antequam scilicet firmati sint humores, vel post quam iã cocti, vt docet Gal. in com. *Sed quod Hyp. recenset est exequendum, vel statim ab initio prius quam in partem aliquam firmati sint humores, medicandum, vel postea cum cocti fuerint.* In casu, autem, iam firmati sunt, & cocti cum valde per plures dies eum infestauerit dolor. Cum hic auctor in casu nõ esse in principio purgandũ docere velit, sicut docuit tex. 44. *Ventrem ab initio clystere duces, sed medicamenta purgantia non admouebis. Nempe si ventrem moueris, vrina non maturabitur &c.* Vndè si hic docet tribus diebus clysteribus vti, & quarto purgari, vrina iam maturata, necesse est fateri quartum habere modo rationem declinationis, cum etiam in istis

principium sit adeo breue, statimq; extremos habeat labores; ita in eo occasio purgationis præceps etiam si corporis adsit præparatio, & ventriculus, viæq; omnes eo directæ, expediteq; nisi in declinatione; idcirco hic auctor disponit, præparatq; trium dierum spatio clysteribus secundum præceptum. *Si quis purgari vult oportet fluida facere*. 2. aphor. 9. & si clysteribus non leuetur est purgandum iuxta illud Fernelij. *Itaque cum iam perfecta apparet coctio, statusq; vehementia mitescente nulla succedit euacuatio decretoria, moue tu medicamento*. Proindè patet, & si dicat purgandum in quarto non quia quartus, neq; ab initio; sed indeclinatione: quoniam quamuis, firmata materia, indeterminata sede, tamen, cum non infestet amplius dolor cocta est. *Dum pus conficitur dolores, & febres plusquam iam confecto*. 2. aphor. 47. & fluxibilis clysteribus facta. Hinc si ita docet purgandum in quarto, est indeclinatione cum in casu non conueniat etiam in principio: vt pulcherrimè Fernelius ad verbum loco citato explicat. *Cum autem vitiosus humor in maioribus vasis conclusus vt in continua febre, aut circum aliqua sede coercitus, vt in prelisq; acutis morbis putrescit; tamen si corporis adsit præparatio & ventriculus, viæq; omnes eo directæ, liberæq; expeditæq; haud tamen rectè potest ante coctionem exquisitè purgare, etenim in morbis acutis tempus perfectæ purgationis accomodatissimum status est, aut verius declinationis initium*. Hinc auctor 4. de ract. vict. tex. 43. & 44. & hic in principio clystere vtitur, alioquin sibi ipsi contradiceretur.

Si in superiori tex. ab initio purgare iubet, hic verò in declinatione, quo iure hic superiorem declarat potius ambo aphorismum secundum primæ particulæ exemplis declarare videtur quando scilicet purgandum, in principio turgente materia, quandò verò in declinatione cocta; cum dicat hic. *Custodiens deinde ægrum, donec ad febris priuationem, & septimum perueniret diem*. Necesse est esse in declinatione; quoniam

niam si priuatur à febre à purgatione in quarto vsque ad septimum opus est hoc interuallum esse declinationis: cum ea suam habeat latitudinem vt toties 1. de cris. docet Gal. & confirmatur. *Acutorum morborum non sunt certæ pronuntiationes, salutis, aut mortis.* 2. aphor. 19. hic auctor supponit septimo euasurus necesse est fateri cognouisse hoc in declinatione; vt Auicen. lib. 4. fen. 2. tract. 2. cap. 20. *Et materia est bona apparet apud statum eius alteratio manifesta tendens ad bonitatem.* In declinatione enim nullus perire potest cum Gal. præstantes auctores. Proinde purgatio per hunc textum est saltem intelligenda in fine status, non autem in principio, vt ab eis malè interpretatur dicentibus superiorem declarare locum de principio loquentem, & in quibus per febres, &c. hic verò de pleuritico septimo terminaturo; quoniam eo die erit à febre liber. *Custodiens deinde ægrum, donec ad febris priuationem, & septimum peruenerit diem.* Morbi verò, qui forte finituri sunt septimo principium tam longum quartum includens, haud habere possunt, cum de natura acutorum sit breue principium, vt supra dictum est, & præcipuè pleuritis: vt docet. Gal. 1. de crisibus cap. 4. *Febris ardens morbus etiam lateralis, & inflammatio pulmonis breuis temporis habent principium statim enim florescunt, ac vigent, statimq; extremos habent labores.* Ita vt aliquando sit obscurum. 1. de cris. cap. 17. 19. & 20. *Apertum dicitur quoties calor natiuus à peccante materia ferè obruitur, atq; signa coctionis non apparent. Occultum verò cum hæc non discernuntur, vel quia pauca apparent symptomata, vel quia prima die aliqua coctionis inditia in vrina videantur.* Hinc Auicen. lib. 1. fen. 4. tract. 5. cap. 1. dixit. *In acutis verò ægritudinibus crisis est propinqua.* In casu enim cum primis tribus diebus valde infestauerit dolor necesse est principium fuisse adeo breue, vt vix prima die perdurauerit; statimq; ad statum peruenerit est enim vehemens dolor ex extremis laboribus, quos statim

habent

habent extremi morbi ex comen. 30. 2. aphor. Gal. *Fortiora esse affirmant febrium scilicet auersiones, vigilias, dolores implacidam, molestamq; corporis lactationem.* Qui dolor cum infestauerit, & non infestet adhuc, iam statum præcessisse significat, cum circa principium, & finem omnia sint leuiora. com. 30. 2. aphor. cum infestauerit, & non infestet, & remissus: pleuriticum hunc esse in declinatione fatendum, & ideo prognosticat, bene terminaturum fore septimo. *Donec ad febris priuationem, & septimum peruenerit diem.* Indè, si hic determinet purgandum in quarto, quia in declinatione in superiori in principio, ante quintum, non videtur rationi consonum hunc præcedentem textum declarare, scilicet per ly ante quintum esse intelligendum quartum, quia est immediatè ante quintum, quia non purgatur in quarto, eo quod quartus, sed quia declinatio in casu, est in quarto, neq; enim principium, neq; declinatio numero dierum numerari potest: vt isti domini censent. Quartum habere rationem declinationis clare docet Gal. ait. com. 7. primi aphor. *Per statim autem intelligendum circiter primas quatuor dies, aut paulo post* vt 1. de cris. *Ad tres autem occassiones in morbis acutis non admodũ accidit &c.* Ergo etiam numero dierum necesse est fateri pleuriticum de quo tex. loquitur, quartum saltem esse in fine status seu in principio declinationis, & ita etiam numero dierum non potest hic præcedentem textum declarare, vt sapienti patet; patet etiam per Gal. commentum. *Neque etenim inter initia aliquod remediorum huiusmodi ægroto iniungere oportet.* Si inter initia nihil, nullo modo præcedentem declarare potest, cum hic etiam agatur de diuersa materia; puta de pleuritico ibi quibus per febres, vnde si ita non valet in pleuritico conuenit sanguinis missio, vsq; ad eius mutationẽ, vel ad aliam alteram limitationem, ergo in quibus per febres, &c. conuenit huiusmodi sanguinis missio; neq; valet hic quarto purgandum, ergo etiam quibus per febres, & iam purgan-

gandum,& quod peius hic in declinatione ibi ab initio, & ita patet ambo textus aphorismum secundum exemplis declarare.

Intelligatur textus sicuti ipsis placet, & verba eis sonare videntur: loquitur de pleuritico, in quo sub thorace infestauerit valde dolor, & si clysteribus tribus diebus non leuetur, quarto purgandum, non videtur phylosophi: Ergo in cæteris, & præcipue in febribus purgationem concludere; & quarto esse ex arte factam. Miror equidem quomodo adeo confidunt purgationi quarto factæ, & Medici eam probare assumunt, cum conditiones in tex. adductæ faciant hanc propositionē condictionalem: ita vt & si sit pleuriticus in quo non adsint omnes narratæ conditiones, nullo modo conueniat medicamentum, sicuti in dolore ascendente vna voce cum Hyp. fatentur doctores, & ipsemet auctor in tex. 73. negat purgationem, laudatq; venæ sectionem. *Si sursum dolor penetrauerit venam brachij internam secare oportet,&c.* Ergo si non in omnibus pleuritibus, quanto minus per hunc tex. necessariò, & absolutè in quarto purgandum præcipue in febribus, quia in huiusmodi pleuritico est purgandum in quarto non quia quartus; sed quia hæ condictiones in eo accidunt, quia si accidermt altero die non videretur maior ratio, cur in eo non esset purgandum; Idcirco Galenus vtrumq; volens explicare textum secundum aphorismorum intelligentiā habet *Quam ob causam, & prima interdum die, & secunda, & quarta, & interdum quinta medicati sumus, & non in quarta solum quomodo hi dicunt.* Sole dilucidius mihi probasse videor hunc textum præcedentem nullo modo declarare, & in quarto quia quartus, tutam esse, & ex arte factam Neque valet in tali casu est quarto purgandum: dies par; ergo die pari est purgandum; nisi intelligatur concludendo, & non exclusiue, scilicet, non impari; cum non raro imparibus liceat purgari; vt infra dicam.

TER-

## TERTIA AVCTORITAS.

ALlata doctrina responsionibus eorum tertiæ huius auctoritatis, qua confirmare censent, purgationem quarto die, vt quartus esse tutam, & ex arte factam notorie patebit. tex. est eiusdem lib. 38. *At; si liquidam aluum habenti causos superuenerit si tibi purgatio idonea videantur, eam non primis tribus diebus adhibebis, sed quarto.* Quem repetere dicũt explicato tex. 76. *Tribus primis diebus clysteribus exhibebis, &c.* Quam auctoritatem confirmari possum, si turgentibus quoq; humoribus, quos constat satis esse aptos ad purgationem, in quibus tardare malum, tamen Gal. 1. aphor. 24. medicos hortatur, vt si fieri potest, arripiant occasionem propinandi alicuius medicamenti, quodquoq; modo extenuare eos, ac etiam præparare potest. Quare nos non debemus, & multo magis non turgente materia, primis tribus diebus nõ solum clysteribus; verum etiam alijs præsidijs præparare, & quarto die eos purgare; vt antecedentes docẽt auctoritates?

Si Galeno est adhibenda fides, Antecedentes auctoritates intelligendæ sunt secundum eius expositionem, non tamen ad placitum, si veritatem, & non fictum cupimus comprobare. Miror equidem, valdeq; miror, quomodo contra auctores medicinæ præstantes: & claram Galeni sententiam hi hoc asserere possunt, cum Gal. vbiq; ex assignatis locorum expræssè neget determinato die esse purgandum; in com. verò primi in ordine tex. scilicet 64. ait: *Si quidem considerandam aluum, quam permutationem cognitam esse, præcipit, & si biliosa deorsum repant: scamoniam biliosa purgantem: exibit.* Si cum deorsum repant ergo die quo repant, quod potest esse primo, secundo, atq; etiam tertio, ergo non determinato, & indistinctè scilicet in quarto, vt explicat in com. 2 tex. 5. 76. *in quarto verò die medicandum indistinctè pronuntiauit desumpto numero dierum scopo: sed quod Hyp. recensuit; exequendum; nam, vel*

sta-

*statim ab initio prius, quam in partem aliquam firmati sint humores medicandum, vel postea cum cocti fuerint, quam ob causam primam interdum die, & secunda, & quarta, & interdum quinta medicati sumus, & non in quarta solum.*

In com. verò huiusmodi tertio loco assignati scilicet 38. *Quad intẽpestiuè quidem hic de causo egerit prædictis scilicet in principio tum differentijs, tum curationibus nemo est; qui ignoret. Nempe dictiones ex mente sunt aphorismi illius. Concocta medicari, & mouere non cruda, neq; in principio, nisi turgeant, vt dictio talis sit intra tertium diem adhibebis. Expetit igitur non omnino à tertio medicari die, sed vt aphorismus canit*, & concludens habet. *Qui autem, vel in principio simpliciter dixerit, vel neutrum deffinierit fallitur*. Quod confirmat Auicen. lib. 4. fen. 1. tract. 2. cap. 43. *Et cum indiget euacuatione sicuti, cum illis quæ dicta sunt, tunc festinatio est melior, complimentum vero est apud digestionem.*

Quoniam morborum nullum tempus determinatum habemus, numero dierum; vt Hyp. Gal. & Auicen. cæteriq; præstantes docent auctores; sequitur numero dierum non habere determinatam administrationis præsidij temporum rationẽ. Asserere igitur, ex adductis auctoritatibus, quarto purgationem tutam esse, ex arte factam, est contra Hyp. Gal. Auicen. & præstantium auctorum sententiam, ( vt in discursu clarius manifestabo) cum repugnet etiam rationi, & vt toties supra dictum est, ex propositione condictionali vniuersalis sequi non possit cum primo dicat *Si tibi purgatio idonea videatur*, & non sine artificio cum tex. 10. dixisset febrem ardentem terminari, vel per fluxum sanguinis narium, vel per sudorem, vel per vomitum, sicuti est sententia Gal. atq; Auicen. lib. 4. sen. 2. tract. 1. cap. 3. *Et sicut febris causari, plurimum enim crisis eius est, aut per fluxum sanguinis narium, aut per sudorem, aut per vomitum* si enim inclinat ad vomitum vt docet cap. 7. prouocandum esse; prouocandum etiam vult hic auctor tex. 6.



quan-

quando os est amarum, & si natura magis inclinat ad sudorem, fac ipsum sudare, & aperies meatus. Si ad sanguinis fluxum pariter prouocandum, si postremo inclinat natura ad alui fluxum; tunc est prouocandum. Quam doctrinam ab Hyp. Auicen. accepit 1. aphor. 21. *Quæ ducere oportet, quo maximè natura vergit per loca conficientia eo ducere conuenit*. Quam etiam sequitur Paulus lib. 2. de re. med. cap. 30. *Si febris ardens perfecte solui debet, aut biliosi humores excernantur, aut extinguantur, excernuntur igitur per sudores, aut vomitum, aut infernam aluum*, idest si liquidam aluum, &c. Quod potest intelligi duppliciter vel quod natura habuerit aluum lubricam. *Quibus viuentibus ad huc aluus humecta est, &c.* 2. aphor. 20. quod non videtur intelligendum, si cum Gal. intelligere volumus quando natura per aluum mouere tentat, & peccans materia ad ventrem repat. Quoniam quibus aluus humecta in ijs etiam causus per sudorem, vomitum, sanguinis narium fluxum iudicari potest. Hinc intelligenda venit, materiam peccantem ad ventrem repare, quod ad huc potest considerari dupliciter, vel ratione signi, cum inter signa reponatur etiam ab ipsomet auctore tex. 13. & à Gal. comm. tex. 17. & à Traliano lib. 12. cap. 3. si signum febris, ergo non semper inclinationis materiei ad aluum, nisi habeat aliquid aliud ratione cuius signum sit inclinationis materiei ad aluum, quod hoc sit secundo modo considerandum, quod aliud non potest esse, nisi limites excedat huius signi, & sic erit febris cum alui fluxu de qua Gal. 1. ad Glauco. cap. 14. ita scribit. *Neque si fuerit febris cum profluuio ventris alia opus est euacuatione: verum hæc sola sufficit, quamuis non sit pro multitudinis ratione: quicumq; enim his plus adimere fore necessarium putantes, aut sanguinem mittere, aut ventrem mouere tentauerint, in grauiora pericula duxerunt*. Hinc non solum non inferenda est consequentia ex hac auctoritate quarto esse purgandum; verum etiam, neq; semper in febre ardente, etiam si liquidam

aluum

aluum. Ex quibus patet quam vane etiam in causo iudicant & prædicant esse quarto purgandum, vt optime cognouit sapientissimus Donatus Antonius Abaltomari lib. 3. de med. feb. cap. 2. de febre ardente. *Vbi purgatione indigeant, ea vtare, nec numerus dierum spectandus est; vt quidam Neapolitani Medici falsò opinati sunt, perpetuo quartum expectantes diem, nam vel statim ab initio prius, quam in partem aliquam firmantur humores, medicandum; vel postea cum ad maturitatem producti fuerint, quam ob causam, & prima interdum die, & secunda; & quarta, & interdum quinta, & non in quarta solum medicamenta dedimus inquit Gal. 4. de ract. auct. super tex. 38. & 56. & Hyp. aphor. 29. 2. part. cum morbi inchoan ait, si quid tibi videtur mouendum, moue, & aphor. 24. 1. lib. in acutis morbis raro, & in principijs medicinis purgantibu vti: & hoc cum præ meditatione faciendum pracipit cuius causam reddit Gal. in com. asserens deinde; quod in acutis morbis circa principia statim circa primum videlicet diem, vel non vltra secundum si sumus vsuri purgantibus medicamentis, eis vtendum, non igitur expectandus est perpetuò quartus dies; sed vbi eiusdem opus sit: singulis iam dictis à Gal. diebus, & quam citius poteris præbenda erunt.* Quam doctrinam doctrina Gal. 3. præsag. ex pul. cap. 3. Ioannes Baptista Cauallarius de morb. epid. cap. 18. comprobrare nititur. Igitur non numero dierum determinatum tempus, neq; diem purgationis habemus etiam in feb. ardente; quanto magis in cæteris? ergo i. quarto facta per hunc textum tuta non est, neque ex arte facta, vt intermissa quarta die ægrotantes omnino sint interituri. Quam sententiam sequi videtur Doctissimus Cortesius, & si deinde ab ea videatur auerti, vt dicturus sum: dicit enim indicationes purgandi non esse sumendas à numero dierum, & illam diem esse commodam ad purgationem, in qua indicans præsens est, & adest permictens. Non semper enim indicans adest, & permictens purgationi in feb. ardente cum

 non

non raro sit indicans refrigerationis, & non medicamenti Paulus enim lib. 2. cap. 30. *Ex duobus alterum fieri necesse est si ardens febris perfecte solui debet, aut vt biliosi humores excernantur, aut extinguantur.* Eadem verba recitat Oribasius lib. 7. *Synap.* cap. 19. & fetè omnes tenent Doctores; Extintio enim fit aquæ frigidæ potu, vt docet Alexander Tralianus cit. lib. 12. cap. 3. *Qua propter veris febribus ardentibus, exquisitisq; cum à flaua excitentur bile aquæ frigidæ potus magis conuenit, aliaq; omnia, quæ refrigerare etiam extrinsecus facultate, & actu possunt.* Febris enim ardens ex Gal. cap. 4. de atra bile plus quam cæteræ febres calida est, & sicca intemperies totum corpus occupans, & cum ab humore putrido fiat, dixit Auicen. lib. 4 fen. 1. tract. 2. cap. 7. *Et cum eo Medici negotium quandoq; in ipsa febris est oppugnatione quandoq; ad materiam, quæ febrem facit conuertitur,* vt per belle per totum docet caput.

Duo ergo sunt præcipui in causonide scopi, alter à febris natura desumptus, quæ calida, & sicca est intemperies, refrigerare scilicet, & humectare, alter ab eius causa, quæ bilis est putrida eam euacuare. Costeus in annotatione. Ex qua doctrina duo sequuntur, primum, non semper esse purgandum, sed aliquando. Secundum, & si aliquando, non semper per aluum, imò raro: cum, vt plurimum à secessu per alia loca naturæ vergat, vt dictum est. Sequitur raro in febre ardente in qua tex. purgari docet, & ex quo assumunt cæteris conuenire. Quomodo ex hoc ergo cæteris conuenire potest; & in quarto? ita, vt intermissa ea die omnes sint perituri, & casu, & fortuna saluentur, si saluentur; si ita raro in febre ardente?

Ad confirmationem nouissimè dico, & si Gal. occasionem alicuius præparationis arripere hortetur dicit non transcendendum esse secundum diem. *In acutis verò morbis inter initia primo die non vlterius secundo purgatione vti volumus turgente materia, &c.* Non inde est inferenda consequentia, ergo

quar-

quarto die ſecundum etiam Auicen. lib. fen. 4.doct. 5.cap. 3. *In acutis etiam ægritudinibus maturationem expectare melius eſt, & præcipue quum quietæ fuerint, quod ſi mobiles fuerint, tunc ad euacuandum materiam feſtinare erit melius; quoniam impedimentum motus earum eſt maius, quam ſuæ euacuationis.* Si feſtinanter, & motus impedimentum eſt maius, quo iure turgente materia eſt quartus expectandus? & qua ratione his conſideratis in eo eſt tuta, & ex arte facta dicant modo hi?

## *VLTIMA, ET IN ORDINE.*
### *quarta auctoritas.*

CElebrem hanc vltimam auctoritatem ad ſuam corroborandam ſententiam eſſe dicunt, in qua ſcilicet Hyp. 4. de morb. tex. 21. dicit. *Quicumq; iàm a febre continua correpti; pharmaco vſi ſunt in diebus paribus: hi nimium purgati numquam ſunt, qui verò in diebus imparibus medicamento forti vſi ſunt; nimium ſunt purgati.* Ex quo concludunt, ne igitur fiat nimia purgatio; opus eſt diebus paribus purgare, ſed quartus dies, eſt dies par; ergo die quarto purgandum.

Si tantum id quod pro ipſis facit, & textus ſuperficiem non legiſſent, vtiq; ad confirmandam ſuã ſententiam celebrẽ eſſe minimè dixiſſent. Cum hic, vt opinor, doceat. Hyp. eos nimium purgatos eſſe diebus imparibus, qui vſi ſunt forti medicamento. Quum enim loquitur de pari, habet. *Qui pharmaco vſi ſunt.* de impari vero addit. *forti* cauſa præcipua ſuper purgationis ex Gal. 11. de ſimp. med. facul. cap. 27. & 28. cũ enim omne genus pharmaci, quodcumq; illud fuerit ſuper purgationem minimè facere poſſit, vt Caſſia, Tamarindi, & Manna, niſi in quantitate excedant; vnde potius videtur, quod ipſe innuat fortè non debere vti medicamento diebus imparibus, quam abſolute negare, & ſemper pari purgandum: cum tunc ſatis ſit, naturam intentam mouere, leui quodam auxilio

iuuare,

iuuare, ſicut accidit diebus imparibus, cum, vt plurimum in illis humor turbetur, vt infra patebit. Ob id dixit Hyp. *Forti medicamento nimium pugati ſunt.* Patet enim hoc quoniam de die pari dicit. *Numquã*; de die vero impari ſimpliciter. *Nimium purgati ſunt*. quod ſignificat aliquando, vel ſaltem, vt plurimum. quando ſcilicet humor ad ventriculum repat, idcirco ſubdens. Hyp. habet *Humor enim in corpore ægroti magis turbatur imparibus diebus, nimirum humorem ventriculum transmictente: etſi quis iam turbatur: ſed ahuc magis perturbatus immiſſo medicamento*, ſcilicet forti. Ita eſſe tex. intelligendum eorum docet auctor: nam humor bilioſus eſt ille, qui exacerbatur diebus imparibus? is enim mouetur de tertio in tertium, qui quando purgandus, leui debemus vti medicamẽto, ne fiat nimia purgatio. ideo cit. tex. 64. dixit. *Si venter murmurauerit fuerintq; excrementa bilioſa mediocriter ſuper purgato.* mediocriter ſcilicet, non forti medicamento. ſi tempore quando non mouetur hic humor debemus vti leui medicamento, quanto magis quando exaſperatur diebus ſcilicet imparibus? in quibus ideo moriuntur quia exaſperantur; & vt probet, quod tunc exaſperantur, probat, quod ſi vtitur forte medicamento, nimium ſuperipurgabunt. Et verè, ſi attentè legatur textus hoc intendit Hyp. probare; non autem negare numquam impari medicandum, ſed ratione probare, quare impari mouentur, eo quia exaſperantur; exaſperantur, quia ſi forte vtimur medicamento, nimium ſuper purgabitur; Sicut autem non valet moriuntur imparibus; ergo omnes, qui moriuntur moriuntur imparibus: neq; valet purgati imparibus omnes nimium purgati ſunt, cum diebus paribus etiam moriantur, vt apud legimus Hyp. 3. epid. ſect. 3. Quarta circa madium diem mortuus eſt acutiſſimè Et 1. epid. 30. plures mortui ſunt ſexto die, Et hi tantum nimium purgati ſunt in quibus magis turbatur humor, & nimium corpore humorem ventriculum tranſmittente, & forti vſi ſunt medicamento.

Qua

a propter subdit Hyp. *Atque hoc imparibus maximè dolor affligit, neque est quispiam cui hoc non sit notum, at verò quod humor turbetur ijsdem diebus, &c.* etiā paribus diebus, vt infra probaturus sum, sæpè dolor affligit, & magis turbatur humor, & tunc etiam paribus diebus medicamento forti immisso super purgabuntur. Quod totum ex Gal. elicitur cit. 11. simpl. med. facul. cap. 27. & 28. qui plures causas super purgationis assignans, neq; par neq; impar excludit, neq; meminit si hæc accidit ratione diei, & non humoris motus; quare inter superpurgationis causas non recenset, vel hunc locum non vidit, vel est diminutus, & male fecisse aliquando prima, aliquando quinta die purgasse 4. acut. cit. tex. 76. Quomodocumq; sit hoc meum determinare non est, sed tantum ostendere, ex hoc non sequi, purgandum pari, ergo in quarto propter eamdem rationem assignatam in textu, si diebus imparibus nimiū purgati sunt, quia humor magis infestat, vt ipsi ratione immediata sequente probare conantur, etiam in quarto quia humor magis infestat: vt infra probabo; vt pollicitus sum, in eo non est purgandum, licet in cæteris paribus: nō valet enim paribus est purgandum, ergo in quarto, rationibus adducendis.

Ad finem, inconstantiæ hi videntur accusandi; per auctoritates enim super allatas, ex quibus apparenter tantum videtur quarto purgandum, inferunt, ergo in die pari, hic purgādum videtur die pari ergo in quarto concludunt, ac si par, & quartus, quartus, & par ad conuertentiam dixissent; & quartus tantum haberet paris rationem, secundus verò, sextus, octauus, &c. minimè, quod videtur incostantia asserere hoc, in plus enim se habet par, quam quartus; cum plures sint pares, quam quartus; quando enim vnum in plus se habet, quam alterum non possunt ad conuertentiam dici, vt sonore logici, canunt.

## PRIMA RATIO.

CVm adductis auctoritatibus purgationem quarto die factam non tutam, & ex arte factam esse nouerimus: id indagandum est. An rationibus probari possit? Quarum prima eorum est. Supposito, quod in principio morbi sit purgandum. Ea die est purgandum, quæ dierum primæ septimanæ est tutissima: sed quarta dies est huiusmodi; ergo in quarta die est purgandum. Purgandum esse tutiori die, quandò nulla perturbatio euenire potest, patet; nam medicamentum suapte natura, quodcumq; illud sit, semper aliquam infert molestiam; quare non est purgandum die illa dum timentur aliquæ mutationes, sicut dicebat Gal. 4. acut: 56. quod in morbis acutis dies impares insignes, tum ad salutem, tum ad mortem mutationes facere possunt, vt inquit. Hyp. in hanc illam declinantes partem reddunt laborantes. Quod etiam dixisse videtur auctoritate immediata antecedente, Hæ quidem euenire nequeunt diebus paribus, qualis est quartus dies; alioquin etiam periculum fieret ne, dum purgaremus; impederemus naturæ motum; ac inde praua symptomata sequerentur; Et tandem mors. Cui rei experientia obstat. Satius est ergo die pari medicamentum purgans administrari, & signanter die quarta, qua nulla aptior est in prima septimana.

Quorum sententia, nisi hanc adduxissent rationem probabilior videretur, plurimisue (meo dicere) illustrioribus ad veritatem ferendam opportunitatem præbentibus etiam ex hac ratione Quæ vel contrarium probat; vel eam non intelligo, vel non est hominis docti, & in Gal. doctrina versati: cum nõnulla pro vera supponat, quæ toto cælo à veritate aliena, & contra communem Gal. doctrinam existant Quod, vt pateat, est notandum: quod suppositum. In principio esse purgandũ, dupliciter considerandum est. Primò absolutè in omnibus mor-

morbis in principio esse purgandum, & hoc modo est absurdum: Quoniam, qui hanc tenent sententiam non sine limitatione, aliqui enim vnam, aliqui alteram debere esse condictionem dicunt: vt videre est apud huiusmodi agitantes quæstionem doctores. Secundo supposito, quod sit purgandum in tali, vel in tali morbo propter talem, vel talem condictionem, veluti auctoritatibus adductis aspicitur; si in tali, vel in tali sit in principio purgandum; ergo non in omnibus; sed tantum in talibus in quibus adest aliqua adductarum condictio, ex quibus ita volentibus, assignata. Si in istis in principio; ergo non in omnibus: sed in omnibus istis; ergo in omnibus istis in quarto; videtur absurdum: sicuti absurdum est dicere in omnibus absolutè, vt satis in prima auctoritate dictum est.

Quomodo ergo esse potest nisi in quarto purgatio facta sit, omnes sunt omnino perituri? & si euadunt est casu, & fortuna: Hos arguit Gal: lib. ad eos, qui introd: cap. 2. *Quo verò vtentes idem sæpe auxilium ab affectu ad effectum transferunt, & loco ad locum, &c.*

Insuper huiusmodi ratio principium perdurare supponit tota prima septimana. Dicit enim si in principio est purgandum, & in die primæ septimanæ; ergo tota septimana est principiũ; & ità in quarta die, quæ est tutissima iam si sexta, & septima fuissent tutissimæ plus quam quarta, in illis esset vtiq; purgandum; vt etiam vult acutissimus Cortesius in sua limitatione; & ita patet velle totam septimanam esse principium. Esto totam septimanam non esse principium intelligat, sed tantum supposito in ea esse purgandum, in quarto non est purgandum. Nonne dicunt hanc sententiam in morbis acutis habere locum? in quibus nec quartus est principium, neq; in eo est purgandum: Gal: enim 2 de dieb: decret: docet: morbum vel esse exactè peracutum, quemadmodum, & is, qui quartum diem non trascendit, de quo mentionem facit Hyp: primo aphor. 6. *Extremis morbis extrema, & exquisita remedia optima sunt*

F Gal.

Gal. in com: extremos morbos nominasse dicit. Summas, vel vltra, quos non alij, quibus morbis mortui sunt quartus egrotus, qui tertio mortuus est, & quintus, qui quarto acutissimè. 3. epid. sect. 3. Gal: primo de cris. cap. 2. *Vt morbus, qui in quatuor diebus sit finiturus* vel non exactè peracutum, de quo eadem particula aphor. 7. *vbi morbus peracutus est statim extremos labores habet.* Quo loco Gal. per extremos intelligit summos labores *Summas enim suffert labores circa primas quatuor dies, vel paulo vlterius &c.*

Rursus morbus vel est exactè acutus, vel non, exactè; vel acutus ex decidentia. Acutorum exactè mentionem reliquit Hyp: 2. aphor. 23. *Acuti morbi quatuordecim diebus iudicantur.* Acutorum non exactè 3. prog. tex. 3. Hic vsq; ad vigesimum perdurant, quorum primus impetus, scilicet principium quarto finitur; vt per sextum antecedentem, & per Gal. 2. aphor. 24. patet: *Ipsorum igitur primus impetus ita terminatur.* vt explicat primo de dieb: decret. cap. 6. & Vallesius 3. epid. sect. 2. com. octaui ægroti. *Hic profectò nullus non putasset hominem die quarta, qui primi morborum impetus finis est, moriturum præcipuè cum iam videret die quarto non magis, quam prioribus dormire, & ire in peius &c.*

Si vero non exactè acutorum primus impetus quarto finitur, quo magis exactè acutorum: Assignent modo in qua horum morborum sit in quarto purgandum, supposiro esse purgandum in principio; implicat enim contradictionem morbum acutum esse, & principium habere longum quartum includens, cum eorum essentia sit statim habere extremos labores, vt dictum est. Repugnat etiã huiusmodi purgatio aphorismo Hyp: *In acutis morbis rarò, & per initia medicamento purgante vti oportet; & si aliquando cum præmeditatione.* si aliquando, & cum præmeditatione, quomodo potest esse tuta, & ex arte facta (supposito esse purgandum in principio, & in morbis acutis.) ita, vt intermissa ea die, sint omnino perituri, & si euadunt est

casu,

casu, & fortuna ? quod totum dilucidius in responsione ad minorem patebit, quæ est *equidem euenire nequeunt diebus paribus, qualis est quartus* Quam non probant, nisi experientia (de qua infra) Rationes pro modò negationis adduco. Cum sæpissimè ac færè semper in quarto eueniant ea, quæ diebus imparibus euenire solent (licet non in omnibus paribus,) vt clare experientia, ratio, Hyp. Gal: & omnes nos docent non vno; sed millibus, in locis. quorum, quos in promptu, & præmanibus habeam, tantum adducam; primo enim de cris. cap. 16. *si quarta die, vel quinta crisis effectura est*, sed quando eueniunt crises mutationes eueniunt; ergo id ex quo sequitur. 3. de cris. cap. 10. *si aliqua die iudicatrix futuram crisim præostendit; age enim in quarto die visa sit primum nebula in vrinis nigra, vel suspensio nigra, vel tale aliquid huiusmodi. Sint vero omnino & alia signa, & accidentia perniciosa: moritur enim omninò hic ægrotus* nonne sunt mutationes hæc, quæ in quarto eueniunt ?, & ex sententia Hyp: primo prog: com. 3. tex. secundo habet; *etiam mitissimæ febres, quæ cum signis securissimis fiunt quarto die fiunt, vel prius. Ita pessimæ querq; & quibus periculosissima adsunt signa die quarto, vel citius interficiunt:* Veluti quartus, & quintus ægrotus in 3. epid. sect: 3. *mites quidem nominans contrarias malignis, quam neutrum quartum transcendunt: sed hæ omninò quidem soluuntur; hæ vero interficiunt;* & ita tum salutaria, tum læthalia quarto quædam eueniunt, & exacerbantur. Primo de dieb: decret. cap. 4. *& vt plurimũ quartus eum pronunciat: nam si vrinæ in illo planè, vel sputi, vel deiectiones, vel appetictus, vel mentis, vel sensus, vel alterius cuiusdam similis manifesta mutatio illam, vt non similis in septimo iudicatio committetur, quando fieri posset bona, si ad salutem; mala, si ad peiora portendat, qui in quarto ad peiorem statum recedunt, pieriq; sexto moriuntur.*

Si vero neq; Hyppocryti. neq; Galen. fidem adhibere sedit in animo: saltem suo auctori suam rem commictant 4. cit.

de rat.vict. parum procul,imò in medio citatorum ab ipsis locorum,scilicet tex 66. *Cum febris lingua quarto die quædam loquitur, venterq; liquida,biliosa deijcit,delirare consueuit*,& Gal. in comm: *si quarto apparuerint inprimis periculiosiores septimo fore demostrant*,& ita ex suo auctore patet, posse, imo de facto euenire, ferè semper eximias perturbationes; sicuti Paulus lib. 2.cap.5. etiam confirmat. Non valet enim dicere cum Sapiētissimo Cortesio,non valere hoc vbi diebus imparibus exacerbantur;sed vbi diebus paribus; quod esset contra veterum doctrinam,ac veterum experientiam, & Hyppocratis obseruationes 3. epid. sect.2.ægroto septimo. *Prima die, horrida incaluit Tertia,rigor,febris acuta,tumor subruber,durus,colli,& pectoris ex vtraq; parte; extremitates frigidæ, liuidæ. Spiritus sublimis, potus per nares fundebatur, deglutire non poterat; alui secessus, & vrinæ suppressa erant. Quarta omnia exacerbata sunt*, & octauus ægrotus *Prima die aluus turbata. Tertia moleste habuit, siticulosus, anxius; multa iactatio; desperatio;mente motus est. Extremitates liuidæ, ac frigidæ præcordij intensio submolli; vtrinq; quarta non dormiuit,mala in peius procedebat.* Ergo quarto eueniunt mutationes non leues, tàm si paribus, quam si imparibus exacerbentur; vt Auicenn. lib. 4. fen. 2. tract.2.cit.cap.3. *Dies autem septimus est dies fortis valdè, & indicat ipsum quartus*. Sed quia de quarto multa in sequentibus; ideo prosequor. Si hæc quarto eueniunt, & ostendunt pro ratione qualis futurus sit exitus.4.aphor.71. fortis est etiā quartus, cum ostendat,siue ad bonam; siuè ad malam iudicationem: vt Gal. in com. docet certè non solum fateri cogimur eorum propria ratione in eo non esse purgandū: quoniam non solum timemus; sed de facto accidunt immodicæ mutationes, tùm ad salutem, tùm ad mortem;& adesse periculum, dum purgaremus, impederemus naturæ motum; indè praua symptomata sequerentur: & tandem mors. Est ne modo tuta, & ex arte facta purgatio quarta die, an periculosa,& in artificiosa,

ciosa,& multo magis,quoniam valdè sunt contemplanda,quorum ratione quartus est valdè contemplabilis; quandoquidem si morbus primo,& tertio die exacerbetur, (vt ipsi fatentur) quinta die expectanda est accessio, quæ, si quarta contingerit, nouum aliquod minatur malum;(vt habetur de cris.) ergo etiam in imparibus exacerbationibus est quartus contemplabilis;quod manifestè innuit Hypp. primo in 3.epid.tex.16. *Insuper est aduertendum, quæ sint his temporibus futura,iuditia ad salutem, vel perniciem*. Quam doctrinam subscribit actuarius lib.2.cap.4.*Porro interdum ita praua expectanda sunt, non secus, quam,quæ,ea,quæ in septimo eueniunt;quartus pronuntiat*, & Paulus lib.2,cap.7. hanc confirmat veritatem. vnde clarè patet,eorum propria ratione, me probare quarto die graues euenire mutationes; esseque valdè quartum contemplabilem; & ob id eo non conuenire purgans medicamentum. Quibus ita cognitis Philippus Ingrassias lib. de med. purg. omisisse, Gal. tertium diem cit. 4. de rat. vict. 76. quia dubitat, ne expurgatione illo die facta, impediretur quarti diei iudicatio; neue impederetur iuditium, quod in septimo fieri consueuit; quod cap.ij. 2.de dieb. decret.ex Gal.probare possum:*vbi septimus dies instat, neq; ægrum nutrire conuenit ante vnum diem ne conturbetur iuditium*: si ante vnum diem non est nutriendum quò magis eadem ratione minimè purgandum; vt intuenti patet.& Gal.3.de dieb. decret.cap.8.iuxta finem,& Auicen. secunda quarti tract. 2. cap. 10. docent. Si allata doctrina, continet veritatem, quartum scilicet ex sua natura contemplabilem esse, & in diem septimi; ex secundo aphor. 24. & 4. 21. & futuram crisim ostendere; eum contemplare debemus, & opus naturæ commictere, vt si ad salutem, vel mortem terminaturum videamus; vt docet Gal.primo de dieb.decre. cap. 8. *Quarta die signum decretorium habuisse ponamus, quemadmodum supra de vndecimo statuimus: hinc crisis septimo expectanda est. Contemplatorius ènim est in secunda septimana vndecimus:*

*mus: in prima quartus : & indicare natus est, sicut vndecimus quartumdecimum, ita quartus septimum qualis nam erit.* æger, & si natura mouet, per quæ loca, qua via, quæ percipere non valemus, quarto pharmaco adhibito.

Hinc Conciliator maluit die iudicatorio purgare quam indicatorio existimans longè periculosiorem esse purgationem, quæ fit in die quarta, vt indicatoria, quam iudicatoria: nonne quartus est indicatorius? vt ex Hyp. Gal. Auicen. cæterisq; & primus numero, & dignitate. Vnde non sine optimo consilio, maximoq: iuditio Conciliator fecisse videtur. Cum iudicatorius quo natura vergere intendit, ostendat, & eo ducere, & per loca conferentia debeat medicus, cum sit naturæ minister, quam cognoscere nõ valet, neq; eam rectè adiuuare queat: nisi diem iudicatorium super enarratum cõtempleat; ostendentem, qua via, & modo operatura est ipsa natura: quæ si crisim perficit, opus non est operare Medicum. Iuxta illud. *Quæ iudicantur, & iudicata sunt integre; neq; mouere; neq; nouare oportet.* Primo aphor. 20. Hyp. & Fernelius lib. 3. met. med. cap. 12. *Quos enim sponte natura persanat frustra medicina fatigat. Si autem natura deficit, aut longus protrahitur morbus; aut vehementius extendit opitulandum arte* doctus à Gal. Quos, & quando purg. opt. *Verum quoties natura euacuationem absoluit nulla insuper est opus medicina: cum autem ipsa mediocriter, ac segnius peragit; quod deest, medicus supplere conuenit.* Quod cognoscere, & callere non valet medicus, nisi contemplet ea, quæ sunt contemplanda; vt recte curatio à medicis adhibeatur. 3. de cris. cap. 5. Vnde iurè Conciliator maluit die decretoria, quam indicatoria purgare; Quando scilicet præcognouerit, naturam imperfecte & diminute operaturam; vt vult Auicen. vt. lib. 4. fen. prima tract. 2. cap. 7. *& si ipsa non mouet, moue tu hora motus eius, & si ipsa mouet, aut mouit, tunc dimicte eam, & operationem eius* quod, vt adhibeatur medicamentum necesse est. imperfecte mouere per aluum, vel nulla via, cum nõ semper natura

tura moueat, vt habet Eminentissimus Toletus. 5. phys. cap. 6. super tex. 58. & quando mouet non semper per aluum: sed, vt plurimum, contrario a purgatione, motu mouere conspicimus. Et apud Gal. pluribus in locis legimus, & præcipuè, quos, & quando purgare oportet; vbi docet: si alia via natura mouet v. g. si per vomitum. *Nam si ad superiora humores inclinauerint, purgantis medicamenti efficacia impedirentur* si v. g. per vrinam, vt paulo infra: *Potest insuper natura ad vrinam vergere; potio, quæ subducere aluum debuerat, nihil efficere.* Et totum colligens Paulus replicat lib. 2. cap. 7. *Ex his iudicatorijs quidē, & aliorum indicatorijs sunt: quos Hyp. etiam contemplari iussit, & contemplandos nominauit: eo quod iudicationes in alio indicatorio die futuros præindicent, & contemplandos exhibeant, veluti est quartus, qui futuram in septimo die iudicationem præiudicat, si sudores aliquos, aut humiditates, aut eiusmodi quosdam particulares euacuationes, aut significationes prius non factas efficiat; aut etiam conuocationis signa ostendat.* Proinde sanctè iudicatorio die potius Conciliator purgat, & non indicatorio motu naturæ incognito. Dum purgaremus absq; dubio; vel benè operantem alia à secessu via impediremus; vel male operantem adiuuaremus, vel purgationis terminum excederemus; vt aduertit Auicen. lib. 4. fen. 2. tract. 2. cap. 10. *Non ergo moueatur omnino cum medicina: fortasse enim adiuuabit natura ad euacuationem; quare superfluet vehementer, & fortasse faciet ei contrarietatem in parte sua; quare pariet laborem, seu contrarietatem motuum, non crisim, & non fiet euacuatio, & in hoc est illud, quod est in eo. Et oportet in cognitione dierum crisis, vt obserues, rerum res naturales alterantes dies crisis note, &c.* vnde docet, qui opus naturæ illo tunc non committit, non Medicus; sed hostis naturæ censeri deberet vt etiam docet, Gal. primo de dieb. decret: cap. ij. *Quæ nam igitur sunt, quæ committuntur peccata? quædam sanè ab ipso ægroto videlicet: quædam à medicis his admirandis, putantibus si quis introgressus ad ægrum, deinde succingens,*

*cingens se, vel cataplasma imposuerit, vel perfuderit, adusserit, vel clysterem indiderit, vel venam inciderit, vel cucurbitulas adiunxerit, vel confriuerit, vel nutriuerit, aut huiusmodi aliud factitauerit, nihil ab ipso gestum esse artificiosum: hi enim, quoties ad ægrum accedunt, toties peccant. Non igitur iuditium in septimo die, ad quem paratum erat, fieri potest, tot interea erroribus admissis quandoquidem naturæ motus statutis periodis pro sui ratione contingit: interim ab exterioribus peccatis circuitus seruare prohibetur. Sic itaq; Hyp. vndequaq; admirabilis inquit: Natura omnino sufficit. Peccatur in hanc extrinsecus cataplasmate, inuntione, & totius, & partis inspersione. Sic etiam Medicum naturæ ministrum appellat reuera Medicum, non pharmacopolam quendam extriuio: tantum enim hic à iusta naturæ ministri appellatione abest, vt etiam maximè contrarium nomen ipsi magis conueniat, inimico videlicet & naturæ ipsius, & ægrotantium hosti iure appellato.* Relegant quæso curiosi totum caput. Committendum est igitur in quarto naturæ opus, ne peccata committantur, & hostes naturæ dicamur; & quæ eueniunt contemplatis certior factus Medicus tutius die decretorio aliquando mouere potest: vt haud falsè Conciliator censet, & fortè fortunà Fernelius loco cit. diuers. *Atq; cum iam perfecta appareat coctio, statusq; vehementia mitescente nulla succedit euacuatio, moue tu medicamento.* Quod nisi contemplemus indicatorium; tota totius scientia euadit. Hinc dixit Gal. 3. de cris. cap. 3. *Ac propterea ab aliquibus indicatorio præiudicata fuit, & etiã excretionis speciem facit morbo conuenientem*, & cap. 4. *Si enim in diebus indicatorijs fiant, inditia sunt, quod sequentes iudicatorij dies ægrotum morbo liberabunt.*

Si tot ac tanta quarto eueniunt, tantaq; diligentia sunt considerandа, vt ipse quartus adeo valde sit contemplabilis, quo iure, qua ratione, qua methodo ita inconsideratè in eo purgatio tuta esse potest, & ex arte facta: ita vt, intermissa ea die, sint omnino perituri; & si euadunt casu, & fortuna euadant; vera

doctrina

doctrina verò super allata totum contrarium docet. Tunc enim est tuta, & ex arte facta purgatio; quando est sicuti aphorismi canunt, & in comm: docet Gal. & lib. quos, & quando purgare oportet. *Si diuturnus futurus est morbus expectanda semper erit coctio: & si acutus sit, inter initia: si modo à concitatis pendeat humoribus, purgare licet, quamquam istud ipsũ magna cum animaduersione, diligentiq; consideratione faciendũ est.* Quæ in quarto ita contingere est valde difficile; vt sapienti patet.

Tandem quartus est dies iudicatorius; sed die iudicatorio magnæ eueniunt mutationes: ergo in eo non est purgandum. Quum timemus magnas mutationes (vt ipsi fatentur,) non est purgandum, ergo in quarto non est purgandum, & ex consequenti in eo facta est valde timenda, & inartificiosa: maior sum probaturus in responsione sequentis rationis: Ideo ad eã me tranfero.

### *SECVNDA RATIO.*

OBIICIVNT secundo hac ratione diebus non iudicatorijs purgandum est; sed quarta non est iudicatoria; ergo in ipsa est purgandum. Maior clara est: quia diebus iudicatorijs fiunt magnæ mutationnes, quibus non est addenda illa perturbatio, quæ fit à medicamento. Minor est Hypp: in primo Epid. tex. 14. Vbi non recenset quartum inter dies iudicatorios. Dicens. *Febricitantes, nisi diebus imparibus febris reliquerit, solent recidiuare.* Quare, aut dicendum est: propter dies impares intelligi posse dies iudicatorios, aut aphor: hunc non fuisse ab Hypp: scriptum. Igitur purgatio facta quarta die est tuta, & ex arte facta; tamquã in die minimè iudicatoria. sed pari. Hæc illi.

Mirum inmodum obstupesco veros acutissimos intellectus acumine celeberrimoq; literarum nomine florentes, ac pænes

totum ferè terrarum orbe præ graui scientiarum experimento, notos, atq; spectatos hanc rationem adduxisse. Quoniam si præcedens explicata quarto purgationem, neq; tutam, neq; ex artefactam esse probet, hæc non solum eam corroborare videbitur; verum etiam occasionem præbet, vt firmius, quam per primam eam confirmare valeam. Eadem, quam præcedens, & idem per diuersa dictum esse videtur. Quapropter satis superius patet quid ei dicendum: atq; solutio. Actamen ad maiorem veritatis corroborationem, argumentũ retorqueo. Diebus iudicatoriis non est purgandum; quia fiunt magnæ mutationes, quibus non est addenda illa perturbatio, quæ fit à medicamento; sed quarta est iudicatoria: ergo in ipsa non est purgandum. Maior eorum est propria. Minor patet ex immediata ante doctrina, & ex infra dicendis patebit: addo pro modo Pauli auctoritatem lib. 2. cap. 7. numerantis inter iudicatorios quartum; & Hyp. passim quartum iudicatorium nominantis. 3. in 3. epid. ægroto. 6. qui liberatus est quarta die; nec morbus rediit; & Actuarii lib. 2. met. med. cap. 4. *Quamobrem quartum, primum, aut iudicare, aut in sequentis septimi indicem esse, deinde post eum septimum perfectè iudicare asserimus.* Et Auicen. lib. 4. fen. 2. tract. 2. cap. 3. *Et ego dicam eos distinctè, & post quam dixero: quod primus dies crisis est dies quartus.* Vtiq; modo concedo aphorismũ illum quartæ particulæ Hyp. esse, & per dies impares esse intelligendos iudicatorios, cũ iudicatorii dies non tantum dies impares; sed pares etiam compræhendant: vt 2. aphor. 24. & in epid. testatur: multas decimoquarto se vidisse iudicatos, vigesimo, vigesimoquarto &c. & præclare Gal. docet cit. 4. aphor. 24. com. 61. *Ab initio statim igitur, nisi imparibus diebus desierit incerte, ferè ait, & minime fidam iudicationem præstat: igitur pro impari die scribere crisimo, idest iudicatorio &c.* Et Auicen. lib. 4. fen. 2. tract. 2. cap. 1. Inquit. *Hyp. dierum criticorum alÿ sunt pares, & alÿ sunt impares.* Vnde patet quartum esse iudicatorium, quamuis sit par

qua ratione cum imparibus numeratur à Gal. primo de diebus decret. cap. 5. Hinc non ſolum eorum minorem improbatam remanere verum etiam cōtra ipſas reſultare cōſpicitur; vt præclarè ſcriptum reliquit Hyp. in primo epid. tex. 14. *Eſt autem primus decretorius circuituum, qui diebus paribus iudicant, quartus.* Et in com. Gal. *Primum itaq; dicit decretoriorum diem eſſe parium dierum quartum.* Decebat eis dicere potius *Vbi Hyp. non recenſit quartum inter dies impares* quam *Nō recenſet quartum inter dies iudicatorios.* Cum iam recenſuiſſe pateat.

Ad vberiorem verò doctrinam; cum nonnullis dico: Qui mouentur diebus paribus, tum paribus, tū imparibus iudicari; qui tamen mouentur diebus imparibus; tantum imparibus; & ideo dixit Hyp.

Solent recidiuare, & non recediuant abſolutè; cum de iſtis loquatur, qui mouentur diebus imparibus; nam virginem Lariſſæ dicit 3. lib. huius operis liberatam ſexto die caruiſſe recediua; quia habebat labores diebus paribus; ſed hæc doctrina in explicatione limitationis Doctiſſimi Corteſii.

## TERTIA RATIO.

DIcunt tertio. Ergo nullus poteſt dari dies, in quo purgādum eſt, & præcipuè in prima ſeptimana. Nam in quibus natura non modo rectè operatur; ſed cū maximo vitæ periculo tentat euacuationem. Iudicant enim cum difficillimis ſymptomatibus; nempe Caro, Cataphora, Animi deliquio, Paratodibus malignis, morbo regio &c. adhuc infide, imperfectèq; obſcurè, & ſine notis. talis enim eſt cum Gal. primo de criſ. cap. 4. Sextus: Cui comparatur octauus, decimus, duodecimus, decimusſextus, & decimusnonus: quare cum ſexta die non ſit purgandum, cum natura non benè operetur in iam dictis, neq; purgandum. Neq; die quarta, vndecima, decimaquarta, decima ſeptima, & vigeſima, quæ ſunt indicatoriæ, & iudicato-

riæ; ne perturbetur crisis, vel presens, vel futura, neq; in prima, & in secunda cum natura nihil operetur, & aliis de causis. Neq; tertio, & quinto primæ septimanæ. Neq; nono, & decimotertio secundæ septimanæ; cum sint dies impares; in quibus si est fienda purgatio; valdè dubitatur. Ergo numquam sinè timore, & controuersia est adhibendum medicamentum: sed hoc est valdè à ratione alienum, & obseruantia: cum medicamentum purgans sit vnum ex præstantissimis remediis; quæ solent semper à medicis administrari. Gal. 2. aphor. 29. Ergo fienda est sicuti auctoritates, & rationes à Nobilissimæ Vrbis Messanæ Medicis allatæ loquuntur: diebus paribus scilicet, & signanter quarta die, in qua est tuta, & ex arte facta.

Licet meũ non sit; qua die fienda purgatio statuere: sed tantum in quarta tutam, & ex arte factam non esse probare; tamẽ, vt iustè petenti satisfaciam, & ne scrupulus remaneat vllus; Respondeo. Quamplurimos esse opportunos pro medicamento purgante dies tam pares, quam impares; non sine tamen distinctione. Cum vero dicitur die quarta purgandum: ita, vt intermissa purgatione eo die, omnes interituros esse: negatur, & ratio negationis est. Quia si purgationis indicatio elicitur ex motu materiei; non competit quarto die, etiam si per dies impares moueatur: cum quarta in istis etiam habeat rationẽ, tum indicatorii, tum iudicatorii in quibus non conuenit. (vt supra dictum est) & etiam dicam, si ratione dierum debet fieri diebus vacuis, & medicinalibus; quoniam in istis natura non mouet; idcirco Ars in eis tutè mouere potest: vel quando turget materia, & quicumq; sit ille, & ita potest esse primus, secundus, octauus, decimus, &c.

Sed quispiam obiicere potest. Hi dies per Hyp. sunt vtiq; iudicatorii, (vt iam probatum est) & in his est mouẽdũ: quartus est dies iudicatorius: ergo in quarto est mouendum; & signanter: quando in principio est purgandum: cum in principio, & in fine omnia sint leuiora.

Si

Si cunctas difficultates, quas huiusmodi ratio continet præscrutari vellem, longum tractatum conficere deberem; sed cum solum in quarta die non conuenire medicamẽtum in animo sit, breuitate, qua potuero, probare; dariq; dies purgationis, & qui, & quales sint supponere: actamen, vt amico petenti satisfaciam, respondeo. Dies vacuos dici decretorios per àccidens; quoniam nihil decernunt neq; indicant, neq; sui ratione prouocant; & si iudicant, id pessimé efficiunt, periculosè, & infidè; crises enim tantum à morbi malignitate proficiscuntur, vt ex Hyp. patet primo epid. com. 2. tex. com. 75. & Gal. in com. esse pessimi iuditii fatetur, & sect. 3. in hystoria Philini, & primo de cris. cap. 13. non accidere docet ratione diei. Etiam Actuarius loco cit. *Iam, qui intra vigesimum non iudicare censetur sunt, primus, secundus, octauus, decimus duodecimus, decimustertius, decimusquintus, decimussextus, decimus octauus, decimus nonus. Hi enim aut penitus non iudicant, aut si quid iudicare videntur, id non sua natura; sed à præeuntibus, aut subsequẽtibus iudicatoriјs obtinent, à quibus quum momentum quopiam accipiant, imperitioribus quandoq; iudicare, cum tamen ex se iudicent, creduntur.* Et ex Auicen. etiam colligitur lib. 4. fen. 2. tract. 2. cap. 10. Inter quos dies nullus quartum enumerat: Cum idem de eo dici non posse cum iudicet & bene moueat; vt hystoria Periclis patet; neq; de sexto, cum male iudicet; ex Gal. primo de dieb. decret. cap. 4. cui nõ obstat Larissam sexta die iudicatam fuisse, & recediua caruisse, dum non fuit, quia sexta fuit iudicata; sed quia sequutæ sunt menstruæ purgationes.

Hoc vult innuere Aristot. 5. Phys. cap. 6. Tex. 58. *Morbi solutiones, quæ fiunt diebus criticis, fieri secundum naturalem alterationem: quæ verò fiunt diebus non criticis per violentam alterationem.* Et sicuti dies sextus inter dies pares est adeo contemplabilis, ad malum, primo de diebus decretoriis cap. 2. 4. & 5. 3. epid. com. 3. tex. 83. 3. de dieb. decret. cap. 8. primo ad Glauc. iuxta finem 4. aphor. 29. & Auicen. lib. 4. fen. 2. tract. 2. cap. 6.

cap. 6. *Sextus autem dies est in quo cadit crisis; verumtamen illa est mala*. Ita quartus, cum sit indicatorius, atq; iudicatorius ad vtramq; mutationem, diuersa tamen ratione; vt ex dictis superius patet. Ad hæc autem, vt dies dicatur per se iudicatorius, necesse est tum ad bonam, tum ad malam iudicationem terminari; primo de diebus decret. cap. 5. *Si aliquando autem in octauum diem, vel decimum solutio incidat, verum raro in his soluitur, neq; cum fide, nec bene perfectè, insuper adhæc, vt citra notas: vnde alterius esse naturæ, ipsi cum supradictis ostenduntur*. Medicinales verò, per se medicinales dicuntur, quia in eis ægrotis mederi eisq; catartica citra periculum medicus exiberi potest. Hinc Vallesius primo epid. sect. 3. tex. com. 75. dixit, esse minus iudicatorios. Qui cum moueant ratione medicamenti indicati, est opus naturæ medicamentum bene actuantis; & cum non sit tunc ad aliquam motionem intenta determinatè veluti manu regulate porrigit; sicuti sponte non raro accidit diebus iudicatoriis non habentibus rationem vacui, & medicinalis. (sicut est quartus.) Ideo forte Gal. primo ad Glauc. cap. 10. dixit. *Post septimum diem*, & Auicen. lib. 4. fen. prima tract. 2. cap. 40. repetit. Ex auctoritatibus enim, & rationibus allatis primo, & per se, & ex sui natura quartum indicatorium septimi, & iudicatorium esse patet; (vt expresse docet Sapiētissimus Cortesius) nemoq; negare potest. Hinc eorum rationē nullam esse, atq; purgationem in quarto factam, neq; tutam, neq; ex arte factam fateri coguntur.

Cum quartus ex auctoritatibus supra narratis primo, & per se non sit dies medicinalis, & vacuus; sed septimi indicatorius: vt clare, & Sapientissimus Cortesius canit; & neminem credo negare posse. Hinc in eo purgationem tutam, & ex arte factā quispiam neutiquam asserere valet.

Sed aliquis sophisticus ad huc sophisticare potest: non solū textus superius allati; verum etiam Gal. quarta die purgare consueuit; ex quo vel dicendum quartum indicatorium iudica-

torium,

torium, neq; contemplabilem esse; vel dicendum est in istis posse purgari: vel Gal. errasse, quidquid dicatur, cum non errassent Gal. semper in quarta die purgatio erit tuta, & ex arte facta, & à Galeno.

Vt vero Galeni documentum imiter, & sequar. 2. de symp. caus. cap. 5. *Id quod etiam facere amicè potius veterum dicta interpretantibus, quam maleuolè arguentibus*, & ex supradictis, etiam patet; quare die quarto purgandum dico, non quia quartus; sed vel quia in eo accidit tamquam in principio (cum habeat principium latitudinem) turgere materiam; cum turgere possit in qualibet eius parte latitudinis; vt supra cum Gal. primo de cris. cap. 6. & 7. *& quadam statim prima die, quædam secunda, quedam tertia, quædam quarta, quædam cum præcesserit morbus*.

Vnde in qua die eueniunt, quæ purgationem indicant, tunc purgandum; non quia talis, sed quia in tali die. Quæ si contingunt in quarto tamquam in principio ratione naturæ esse non possunt; in principio enim nulla crisis. Gal. 3. epid. sect. 2. com. 37. 4. aphor. 22. & cum eo omnes; sed ratione turgetiæ. cum enim turget, tunc purgandum, quicumq; dies ille sit quod; vt explicet Gal. dixit: *Sicuti aphorismi canunt concocta medicare, mouere non cruda, nisi materia turgeat; si quid tibi videtur mouendum, moue*, & cum turgere possit tum prima, tùm secunda, tum tertia, tum quarta ne intelligatur dies determinatus, dixit. *Quam ob causam in prima interdum die, & secunda, & quarta, & interdum quinta; non in quarta solum, quomodo is dixit*. His consideratis dixit Cortesius *Primum est, indicationis purgandi non esse, vt dicebat Gal. desumendæ à numero dierum; sed ab indicante, & permittente*.

Dico secundo Gal. cit. primo de cris. cap. 11. Quartũ primo, & per se, & ex sua natura septimi indicẽ esse; si nihil rarum, aut magnũ superuenerit: hoc est, si nihil internũ, aut externũ occurrerit. Nã ersi potest, vt vel ab interna, aut externa quappiam

causa quartus non indicet, neq; iudicet; & quoniam auctor 4. de ratione vict. præuidebat præ condictionibus ab ipsomet allatis tex. 64. videlicet dolore descendente, murmure ventris, aliisq; quartum non indicare, neq; naturam in eo mouere, quia si indicaret, vel indicaret, bene moueret; sed vel turgere materiam, vel coctam esse: ideo eo die iubet quarto purgandũ; quæ doctrina est secundum Gal. expositionem. Quod cum rarò hoc quarto eueniat: ob id tamquam de rarò in hoc casu ita procedendum. Nullo tamen loco docere videtur vniuersaliter esse purgandum; ex quo elici posset vniuersalem consequẽtiam, cum semper loquatur condictionaliter, & cohartatè: vt patet, docetq; Gal. cit. 4. de rat. vict. 67. *Omnis doctrina ex vniuersalibus recipit incrementum; quod si perpetua fuerit primã habet vtilitatem: si verò magna ex parte, secundam: quod, si anceps quippiam, vel rarum fuerit; id ad doctrinam inutile censendum est.* Sed purgare quarto die rarò accidit, præ condictionibus auctoritatuum allatis, ad doctrinam inutiles censendum est, & neque tutum, & neq; ex arte factum, neq; anceps potest esse (vt de experientia differendo probaturus sum.) sed semper inutile.

Sed adhuc sophisticus cauillare potest. Hoc in morbis salutaribus valere; non autem in periculosis: sicuti sunt acuti morbi quorum non sunt certæ pronuntiationes salutis aut mortis; in quibus, (vt videtur perspicax Cortesius innuere: coacta) curatione vtendum est; regulasq; illas vniuersales trascendere Medici coguntur, secus, ac in victus ratione contingit; in qua quidem alimenta non sunt in principio accessionis adhibenda; sed in declinatione. Aliquando tamen impellimur recedere ab hac vniuersalitate, & alimentum afferre in initio accessionis. 10. met. cap. 3. & 4. Ergo hac ratione purgatio est tuta, & ex arte facta.

Pro cuius intelligentia est aduertendum; quod alii duplicem fingunt curandi rationem. Alteram vocant ordinariam, ac methodo

thodo fundatam, obseruantem vniuersales medicinæ regulas. Alteram extraordinariam, & à methodo abhorrentem, quam coactam. medicinæ regulas trascendente vniuersales, cuius ratione dicunt in quarta die adhibendũ esse medicamentũ, & ex arte, & tutũ esse in morbis acutis: atq; dubijs; in quibus tutior pars est eligẽda, in qbus locũ habet huiusmodi purgatio, quod si naturã dierũ respicere vellemus prius peribit æger. Quã doctrinã accepisse videtur à Fernelio loco cit. *Cæterum in ancipiti, atq; graui cuius semper, & symptomata sæua sunt, & minime tutus exitus, statim per initia non vtiliter solum, sed & necessariò vtendum medicamento: neq; prudentis sit medici concoctionẽ expectare, fortasse fortuna non est. Quum enim anceps is sit, ac vehemens; semperq; metus impedeat, ne aut deterior euadat, aut laborantem ante statum iugulet, crudæ etiamnum materiæ nonnihil purgatione demendum ante coctionem.*

Dico primo. Si coacta est, & à methodo abhorrens: ergo nõ ex arte, neq; tuta. Etsi aliquando liceat trascendere ab vniuersalitate, non est adhibendum indistinctè quocumq; præsidium; sed indicatum ab eo, quod magis vrget: vt patet ex eodẽ exemplo. Cogimur. n. in principio accessionis adhibere cibum, indicatur. n. ex corporis intẽperie calida, & sicca. 10. met. c. 3. atq; virium imbecillitate, & febre accensa ex laboribus, vigilijs, ex inædia, & ad summum ex acribus, & mordacibus humoribus. Quia ægri facile dissoluuntur, & syncope corripiuntur. Eadem enim est ratio. Semper est purganda materia die vacuo medicinali cocta, quæ esse non potest in principio; sed quia materia turgentia, vel vrgentia magis vrget, licet transcendere ab hac vniuersalitate, & cum turget, vel (secundum nonnullos) vrget, & si sit in principio die impari indicatorio, &c. in eo est purgandum. Hinc aliquando in prima, aliquando in secunda, aliquãdo in tertia, & sic de cæteris; vt nos docet Gal. 10. met. cap. primo. *Erit igitur rursus hic quoque eadem tibi consideratio, quæ paulo supra, vt cũ viribus, tum febrem, tũ causam inuicem conferas. Mox si eadem ambo remedia requirent, ea promptè exequaris. Si indi-*

*cationes pugnabunt, vnam præferas; vel quæ à viribus sumitur, vel quæ à causa, vel quæ à febre: ac quæ cæteris sit valentior hāc magis sequaris: nec tamen cæteras negligas. Ex hac namq; discretione doceberis primam causam, febremq; profligare, vbi videlicet conijcis harum remedia posse ferre: rursus primam roborandā virtutem esse, vbi hæc imbecillior est, quam, vt causæ, febrisq; præsidia sustineat.* Idem Auicen. lib. 1. tract. 1. cap. 7. Ex quibus eligo primo adhibere cibū in principio accessionis nō esse sine regula, & indicatione *si indicationes pugnabunt vnā præferas, vel quæ à viribus, vel à causa*. præferre indicationē nō est transcendere medicinæ regulas, neq; methodum abhorrere. Secundo sicut non statuitur quo accessionis principio est alimentum adhibendū. *Nisi vbi hæc imbecillior est* neq; hac eadem ratione quo die adhibendū medicamentum, (nisi vbi adest indicās, & permittēs) & multo magis in morbis acutis; & dubiis; in quibus rarò purgandum: & si aliquando cū vehemente, grauiq; consideratione. Ex quibus ergo sequitur nullo modo purgandum in quarto, & purgationē ea die inartificiosam, & valdè timendam esse etiam in morbis acutis.

Et si licitū mihi esset negare Fernelium: tamen, quia ad confirmandam hanc veritatem eius sū vsus auctoritate cum eū ēt loqui in principio purgandū & non in quarto conspiciatur, cū negare non audeo: neq; sibi ipsi contradicere, asserere. Nā statuit loco cit. vitiosum humorem in vasis maioribus conclusum, aut circū hæc aliqua sede coercitū nulla ratione purgari posse; & si meatus sint aperti, & corpus est præparatū, ante declinationē. nonne quando vitiosi humores sunt in vasis maioribus, vel circūiacentibus sunt causa acuti morbi, atq; periculosi? Modo vero iubet in ancipiti, & periculoso esse purgandum in principio. Cōtra etiam Hyp. cit. primo aphor. 24. Cū morborū acutorum nō sint certæ pronūtiationes, ancipites sunt, & in eis rarò purgandū. Fernelū glolo cū ntelligere turgente materia, & cum præmeditatione; vt per totū elicitur caput: nō tamen concludendum: ergo in quarto. Cum non valeat in principio pur-

gan

gandum:ergo in quarto:ex quo ſequitur,nēq; tutā ēſſe;neq;ex arte factā purgationē in quarto,ſed infidam;valdeq;timendā.

## QVARTA RATIO.

EXperientia eſt quarta eorū ratio. Dicūt enim Porrò cum ex Hypp.& Gal. duo reperiantur ad rerum inuentionem idonea inſtrumenta. Ratio nempè atq; experientia duobus iā conſtat,clarum redditur oportere in febribus ſaltē medicamento purgante quarto die tamquam in die pari.

Parce mihi(benigne lector)obſecro ſi prolixum de experientia conficero ſermonem. Cū ea ſit pracipua cauſa,qua tot Medici in opinionem venere purgationem importunam, & ſymptomaticam,ſicuti etiam hanc,quarto die ſalutarem eſſe, & ex conſequenti,tutam atq; ex artefactam,pro propugnaculo ante ſe ponētes in praxi videre;apudq; legere auctores hac euacuatione languentes ſanatos eſſe. Veramq; cauſam neſciētes,ſalutis cauſam medicamēto attribuunt. Quod aduertit Gal. de Placit.& Plat. decretis. *Hinc euenit,vt Medici,qui ex ſola experientia artem conſtituunt; vtile illud exiſtimarent;quod forte fortuna ſæpius profuiſſe,vnuſquiſque compererit.* Cui experiētiæ adeo confidunt;vt nec rationes,neq; auctoritates,nec ipſamet experientia contrarium probantes à ſuo falſo inſtituto euertere poſſint;ſed mortem alteri cauſæ; ſalutem ſemper medicamento eo die adhibito tribuendam eſſe,exclamant. Quoniam,dicunt. *Intermiſſa eo die purgatione id non eſſe ex arte factum: ſed curatos eſſe caſu,& fortuna,& non purgatas omnino eſſe interituros.* Exclamantem contra eos Galenū intelligere nolentes lib. de ſect. cap. 2. de experientia differentem tria genera eſſe dicentē;Caſu,conſulto,& Imitatione;de tertio lætentur genere,vt rationales appareant dicētes Medicū eſſe imitatorē naturæ bene operātis;de quo Genere Gal. *At verò tertiū experiētiæ genus,imitatorium eſt:cum rurſus in iiſdem effectibus ad ea experienda ducuntur,quæ aut natura,aut fortuna conſultoue profuerint, obfuerintue;atq; hoc ipſum quidem eſt,quod maxime artem eorū conſtituit:non.n.bis tantū,aut ter;ſed ſæpius id quod ante profuit,imitari,idemq;in iiſdem affectibus, ut plurimū facere inuenientes,ac*

*eiusmodi memoriam præceptum vocantes, iam fidele id, artisq; partem statuunt, vt autem multa eiuscemodi fuere ab ipsis congesta præcepta, id omne congestū medicina fuit: qui verò congessit Medicus vocatumq; ab ijsdem est huiusmodi congestum, hoc est intuitus proprius, qui memoria quædam est eorū, quæ sæpe, eiusdemq; modi visa sunt, hoc idem etiā experientiam nominarunt: eiusdem verò narrationem historiā, hæc enim eadem res ei à quo obseruata est, proprius est intuitus: ei autem qui, quod est didicit historia.* A quibus eam imitantibus petit Gal. Aduersus empiricos *Nūquid ò Empirici id, quod sæpissime fit, quoties nam fit, nobis dicere potestis? volumus.n.& nos per obseruationem, sicuti, & vos ipsi, scire.* Quoniā ferè semper sæpissimeq; contrarium videtur nec nō etiā ratio id dictat: vt ex mei totius discursus curriculo quilibet percipere potest. Cū illa vera sit experientia, quæ secundū aliquod semper eodē modo se habet; cum.n. vt plurimū contrarium secundū id, conspicitur euenire; experiētia nō dicitur, eiq; minime fidendum: vt de Theriaca ad Pison cap. 3. monet Gal. *Nulla ratione curant turpiter, profitentes se remedia partim ab insomnijs, partim à fortuna suscipere*, & primo de nat. facul. cap. 13. *Experientiæ, & rationi fidē adhibenda non est, sicuti est, de natura empiricorum* vnde quarto die medicamento sola experientia, cui ratio etiā repugnat; neq; tuta, neq; artificiosa est, quoniā experientia sola non debemus vti de Hyp. & Plat. decret. cap. 6. sed experiētia, & ratio sunt iugenda: 2. met. med. c. 6. ob id experientiam cū ratione sequi debemus 2. aphor. com. 17. ne contra nos arguat Gal. sicut demostratiuè aduersus empiricos *si enim obseruatio eorum, quæ sæpissimè simili modo visa fuere, ab ipsis, arbitror, empiria, hoc est experientia, appellatur, cōponitur autem ex multis singularibus; ipsum autem singulare inartificiosū esse dicunt, fuerit sanè, quod sæpissimè fit, ex multis inartificiosis compositum. Et ita oratio interrogabitur. Si singulare est inartificiosā; id verò, quod sæpissime fit ex multis singularibus est cōpositū: igitur id quod sæpissime fit est inartificiosum: atque singulare est inartificiosum: ergo & id, quod sæpissime fit.*

Tunc

Tāc sic. Id cui ratio repugnāt est inartificiosū; medicamentū quarto die esse salutare ei ratio repugnat: ergo est inartificiosū. Experientia.n.,& empirica varijs locis apud Gal. idē sonare legitur, ex quo sequitur purgationē quarto die factā esse empiricā,& non tutā, neq; ex arte, imò temerariā: sicuti Gal. 7. de cōp. med. per. gen. c. 5. exclamat. *Quare si quis post me æque studiosus,& veritatis amator extiterit ne temere, ac subito vbi bis, terue vsus, expertusq; sit, ferat sententiā; frequenter. n. ei ex longa experientia.* Idcirco dixit Democritus. *Misera mens, quæ, cū nobis fidem assumpseris, nos deijcis,& cū nos deijcis, tu ipsa cadis.* Et Gal. de med. expert. c. 5. *Nos nō laudamus hominem ignorantem artem; vt habeat has; quoniā vellet prodesse, fortasse nocebit.*

Etsi ad meū institutū, esset satis, hāc nō esse solā imitādā experiētiā, pbasse;& ex euacuatione in quarto factā euenire, negare salutē. Dico tñ per multa sæcula ante hāc sententiā cōpletā medicinā fuisse;& optimos etiā medicos cuncta perscrutātes, inter quos oīū magister fuit Gal. expressè hāc negās euacuationē: imò huiusmodi auctorē repræhēdit: vt clarè in eius Com. cōspicitur.

Dico præter hæc; nec salutem ex ea, casu,& fortuna euenire; quoniam, quæ casu & fortuna euenire dicuntur, necesse est ei non repugnare ex quo euenire dicuntur: repugnat enim igni refrigerare,& nō cōburere: & vt explicē me, est sciendū ex omniū Phylosophorū consensu 2. phys. c. 6. Agentia esse in duplici differentia. Quædā, quæ nō agūt ex deliberatione,& naturalia dicūtur,& sunt omnes præter Deū, Angeli,& Homines: neq; ex se sunt oppositorū, vt ignis est tantū ad comburendū, nō autem ad nō cōburendū: ab extrinseco. n. accidit, vt nō actu cōburet, nō quia cōburit: sed quia forte patiēs nō est cōbustibile;& ita nō est ex se; cū de sua natura sit cōburere. Morbus. n.& natura sūt agētia naturalia; nō agunt ex deliberatione, nec ad contraria sunt. Hinc. n. morbi sit destruere, corrūpere, atq; dissipare, ex eo repugnat euenire salutē; quæq; ex eo eueniunt salutaria esse nō possunt. Sicut ècōtra, cū naturæ sit conseruare,& bene iudicare, ei salus tribuēda est. *Natura est morborum curatrix,* & ea,

quæ

quę ex ea eueniũt salutaria sẽper esse.primo de morb.vulg.cõ 2.cõ.tex.64.Gal.docet *Vt coctiones natura causas noxias superãte;ita nõ superãte cõtraria;ità quæ ei est in coctionibus dictũ celeritatẽ iudicationis aduersatur morborũ diuturnitas ei, quod illi securitatem repugnat acrasie mors,& recediuæ; ei deniq; quod illic salubre in cõmune quidem nũc dicta oĩa,separatim verò dolores* Si quis verò terrã fodiens ad mortuũ sepeliendũ thesaurũ inueniet, dicitur euenire ex fossione casu, & fortuna: fossioni.n. thesauri inuẽtio nõ repugnat;sicuti igni nõ cõburere. Hinc est quod aliud est euenire præter rationẽ:primo de dieb.decret.c.11 & aliud est euenire præter intentionẽ, quæ præter intentionem eueniũt,casu,& fortuna,& per accidẽs eueniũt:vt loco citato c. 11. loqui videtur Gal.*Cæterũ,si quid extrinsecè cũ præter intentionem accidat esse* Quę vero præter rationẽ eueniũt,dici euenire nõ possunt casu,& fortuna;neq; per accidẽs: sicuti nõ cõburere euenit ex igne præter rationẽ,cũ repugnet ei,ex cõsequẽti ex eo neq; casu,& fortuna neq; per accidẽs euenire dici potest. Hinc est quod si euenire appareat,cũ ei repugnet,causã ex qua prouenire põt,inqrendã esse,est necesse;& non imprudẽter dicere euenit casu,& fortuna,& per accidens vt à Gal.dictum est.

Quoniã verò exẽplo res fit illustris Historiã Fortunati Fidelis lib. 2.de Relat.Medicorũ.c.10.prætermittere nolui inquit.n. *Puellã noui florenti ætate: quæ cũ de fætu ante tempus abijciendo Medicũ cõueniret:hic,vt impiũ illius institutũ falleret,pia simulatione promittit,se daturum quidem quod suam expectationem abundè expleret:verùm antidotũ ex ijs miscuit, quæ fætui robur, ac firmitudinem adijcerent. Puella tñ,dũ illo hausto,iam tũ pariendi desiderio vehementer incensa esset,ac certò sibi, quod falso promittebatur,euenturũ sperans,tota in hanc curam incũbens, nõ multò post elapsum esse fætũ sensit:ac nõ sine Medici ignominia abortiuit, pharmaco quantũlibet aduersante;nam vehemens illa abortus cõcepta imago,& medicamenti vim vicit, & Medici operam elusit.* Hoc est.n. euenire p̃ter rationẽ. Nã præsidii huius ratione neq; per se, neq; per accidens euenire abortũ potuisse conspicitur:

sed

sed pter rationē, & ex illo vehementi imaginationis ante tempus pariendi desiderio. Cuius adeo vehemens est vis docente Gal. lib. de incant. ex sententia Platonis. *Inde Plato inqt. Quando mens humana rē amat aliquam; si eam pdesse certificat, ex sola autē mentis intentione, corpus res illa iuuat; si. n., vt diximus, cōplexio corporis virtutē seqtur, animæ, necesse est rem taliter se habere; q certificatur; qa ex timore, tristitia, lætitia, stupore, nō solū corpus in calore mutatur; sed etiam in multis alijs rebus; vt ventris solutione, siue cōstipatione, vel nimia defectione.* Si de imaginationibus vi plura qs admirāda cupit Marcellū Donatū adeat.

Iure ergo quādo ex aliquo psidio aliq accidere conspicitur, & ei repugnare videtur pscrutāda Medici rationalis est causa: ne dicatur artem ignorare: vt dixit Gal. cit. de medic. expert., & prim. de dieb. decret. c. 7. *Neq; . n. in qbus experientiæ vsus est ipsū expectant: sed, vt cuiq; in mentem euenerit nugatur; neq; euidenter apparentiū causam inuenit.* Cū habitus, q nullius rei causā afferre pōt., atq; merito per talem, nec facultatem dici, vel artem, vel scientiā, nec hominem illo pditū habitu dici scientiā: ppterea ad hāc veritatem respiciens Plato in Gorgia, vel de rhetorica dicebat; coquinariā nō esse dicendā artem: qa in coquinaria principia non ratione, sed solis exprimentis, & obseruationibus sunt inuenta.

Vnde p viribus salutis causam existentibus, his importunis euacuationibus perquirere valde necessariū iudico. Docente Arist. *Scire est rem per causam cognoscere.* Et primo Polit. 7. *vbi aliquid acquirere volumus, hoc est intelligere, opus sit peritiam habere illarū rerū acquirendarū, q̄ optimæ sunt: quoniam peritia est ille habitus, qui experimento cōparatur. Habitus, qui dicitur scientia est ille, q ratione acquiritur: vnde, cū experimentū sit opus sensus, sensus rationem perquire nō potest, opus intellectus est experientiæ causam perquirere.* Fortasse cognito præsidia intempestiuè adhibita, & in artificiosè, vel euacuationes etiam sponte symptomaticè factas, & si aliquādo apparere salutares; reuera nō ita esse cognoscetur; ac etiā esse pter rationem in quarto

purgationi attribuere salutem,& si aliquādo appareat ex ea eu-
nire; forsitan vanū, ac etiā imitatione indignū esse appareret,
& cessaret abusus ; cū sub hac formalitate, vna & eadem ratio
sit: vnoq; determinato reliquorū determinatio exstet, & eò ma-
gis, si de quo magis cōtrouersia est, determinetur: quod nō ne-
mo mecum purgationem in principio morbi, & cruda materia
factam esse iudicabit: quia semper ex sua natura mala est, nisi
materia turgeat.

Quod quopiā clarè videbit: si animaduertet; duas esse euacua-
tiones, vnā criticā, cui correspōdet ex arte canonicè facta. Alte-
ra verò symptomaticā, cui non ex arte canonicè ; sed importu-
ne, atq; inartificiosè correspondere videtur. Criticæ verò, & op-
portunæ factæ & ex arte semper sunt causa salutis. ex Gal. 4. a-
phor. 22. & 3. de cris. c. 5. quoniā ad eas p̄cedūt coctiones *seu
adhuc magis ratio, neq; .n. possibile est; vt post quam causæ morbo-
sæ iam coctæ sunt, ac iam natura superauerit, æger moriatur; mo-
dò recta curatio à medicis adhibeatur. vbi .n. natura superior, &
debellauit & restitit vehementiori morbi conatui, & quæ infesta-
bant, expugnauit.* Hinc salutares sunt, cum, nisi natura vincatur
mortem subsequi nullo modo contingit; vt subdit.

Ex opposito .n. in morbi principio, & cruda materia sympto-
maticæ dicūtur, & ex suapte natura malū afferre, haud criticæ
esse possunt, cū ad eas coctiones minimè p̄cedere possint. 3. de
cris. c. 10. 4. aphor. 22. *Et causam q̄dem quam ob rem initio, si cō-
paruerint humores huiusmodi sint perniciosi, posterius verò si p-
dierint, crisim sint, & decretorij. Cū morbus .n. aliquis incipit, si qd
excernatur, id tūc naturæ rōne, & lege nō excernitur; sed tunc oīa
eorum, q̄ præter naturam sunt in corpore affectionum symptomata
&c.* Causa multorū malorū, & mortis. Vnde si saluātur in criti-
ca, moriūtur; vt plurimū in symptomatica: cū eadem sit opposi-
torum disciplina (ex Arist.) Critica Symptomaticæ opponitur;
quemadmodū coctio cruditati victoria naturæ, morbi victoriæ.
3. de cris. c. 10. *Sed, siquidem integrè superantur, neq; ab initio cri-
sim facere tentat, neq; omnino resistere: & si, paulū omnino surgat
ad*

*ad pugnã, statim succũbit.* Necessario seq̃tur; ꝙ si crisi pereũt ægro tãtes nõ ex euacuatione: sed alia rõe euenire loco cit. & si sympto matica saluãtur, vt videtur, & legitur, alia rõe saluãtur. est doctrin Gal. vt de cris. c. 6. *siquidẽ morbus salubris inueniatur, & neq; eiu acumẽ, neq; magnitudo festinet, neq; error aliqs circa ægrotũ admitta tur, status tẽpus, crisis expectat: & hæc qdẽ optima crisis est. fit enim morbo iã cocto. Si verò vel propter morbi magnitudinẽ vel motus ce leritatem, vel propter aliq̃ aliud irritamentum ante statum crisis ve nire cogatur, tanto hæc optima deterior erit, quanto statum anticipaue rit, quod si neq; vsq; ad statũ sufficere possit, necessarium est ægrotan tem ex hoc morbo interire* & c. 10. *vocat autem sic Hyp. oĩa q̃ ante sta tũ ad crisim ruũt ob aliq̃ irritamẽtum id patiũtur: & tanto deterior fit crisis quã illa, q̃ in statu fit, quãto magis anticipauit. In exitiali bus autẽ morbis eodẽ modo res se habet: neq; .n. crisis status tẽpus exp ectat aut admodũ rarò, sed maxima ex parte in augmẽtis interficit vel in principijs.* Ita patet symptomaticã esse nõ posse causam sa lutis, & ex consequenti experientia vana.

His cõsideratis, in animo cõcipiãt ex iis symptomaticis euacua tionibus salutẽ euenire minimè posse: cũ inutiles sint, & reuera tan tũ appareãt vtiles, & eis attribuere salutẽ sit p̃ter naturã. Cũ peri culosæ ex sui natura existãt; licet nõ sẽper mortẽ afferãt: ea tñ inuc hũt incõmoda, q̃ à Gal. 4. aphor. 22. enarrãtur *cruda verò, & incoc ta & in malos abscessus cõuersa, vel iudicationis frustrationẽ, vel do lores, vel diuturnitatẽ, vel mortẽ, vel eorundẽ malorũ reditũ denũtiãt* quodq; ante eũ scripsisse Hyp. conspicitur primo epid. com. 2. text. 46. Quæ profectò nõ inueherẽt, nisi purgationẽ intẽpestiuè adhi buisset. Hinc, luce clarius, patet, etsi aliquando nõ inuehũt ex alia p̃cedere causa, quã inquirere interest; vt euẽtus causa elucescat. vt 8. de cõp. med. c. 1. Gal. monet. *Verũ, q prudẽtes sunt, simulq; verita tẽ, sincereq; amãt: eos spero custodituros ẽt ea, q̃ veluti iudicãdi instru mẽta nobis data sũt, ad actionẽ vitæ, cognitionẽ, experientiã, dico, & rõem solam non debemus vti, cũ sit periculosa* & lib. 2. de dignosct. ex puls. *Nã ꝙ est in õi experiẽtia id, hic, itidẽ, nedũ nihil distinguimus, cõfusã rẽ tractamus, offendimus, periculũ est.* Circa quã distintionis

I præ-

r æſcrutationē multi multa ſimulauere; vt ſuā ſaluarēt ſententiam
cauſa incognita) ſed veritati, & antiquorū doctrinę cōſona illa mi
i videtur ſentētia dicētiū. Robur viriū eſſe, & in robuſtiſſimis, iſti
urgationibus euenire ſalutē. Quæ vires verò nō ſolū benè morb
ehemētiā; ſymptomatūq; verū ēt errores Medici cōmiſſos ſuffer
e poſſunt. Sicuti .n. Medici phyloſophi nō eſt dicere: ſæpe vidimu
uſticos, nō ſolū graui morbo oppreſſos; ſed etiā cū ſæuiſſimis ſym
tomatibus cōiūctos abſq; Medici auxilio, pluribuſq; erroribus ab
pſo cōmiſſis liberatos eſſe; inferre cōſequentiā ruſticos nō eſſe curā
os, eo qa ſanatos videmus ſine opera Medicinæ. Nōne, etiā vide
mus nōnullos curatos à mulieribus, vel medicaſtribus tot impor
unis auxiliis adhibitis: vt quiſpiā iudicari pōt euaſiſſe? Refugium
mperico rū eſt: vt qdā ſenex elapſis tēporibus nihil aliud habeba
n ore quā *Ego ſæpe feci, & bene me ſucceſſit*. Sicut aduertit Aetius
Tetr. 2. ſer. 1. c. 78. *Proinde ego ſane Medicos quoſdam noui method
gnaros, q imitati ſunt ea, q̄ à nobis fieri ſolēt, & vſi ſunt his auxilijs
penitus mortui fuerūt, & neq; quicquā pfeciſſe, & oppurtunū ipſorū
ſū ſuſpectū, ac horrendū feciſſe.* Et Conſteus in annot. Auicen. c. 3.
b. 1. fen. 4. doct. 5. *Cui ſanè curationi videre eſt fortunatos frequēter
morborū euentus ſuccedere: vbi à perito Medico euacuādi neceſſita
rudēter fuerit animaduerſa.* Quē euentū non ex malis adminiſtra-
is: ſed è robore viriū euenire docet Gal. 3. de criſ. c. 5. *Tūc .n. primū
mori ægrotātē eſt neceſſariū, quādo vires morbus ſuccūbueris, ſiue au
ē vires, ſiue natura dixero idē te nūc intelligere oportet; ſiquidē nihil
liud eſt mors, niſi omnimode naturæ proſtratio: vbi vero ipſa perdu
at dominabitur, aut vincit hominē, neceſſe eſt liberari.* Quod decla-
at primo epid. in hiſtoria Sileni. *Ille .n. merito perijt die ſexto, q in
cuto morbo extitit alia cōtinenter ab initio haberet ſigna, & ſympto
mata. Hinc nō aliter, atq; ille à principio, affectus; tn̄ ad diem pgreſſus
ndecimū eſt per viriū robur, q veriſimile erat: cū alioq ſuppiditare:
ū vero q adiecit ætatē declarauit, quā in Philiſeo nō addidit. vnde
o q illā præterijt, ſignificauit illū fuiſſe ætate maiorē, ita vt minus
alidæ vires eſſent; alius autem æger ijſdem ab initio ſignis, & ſym-
tomatibus validis viribus ſi nō foret, periret ad ſeptimū diem. At quia*

*vi-*

*viribus erat robustis, potuit ad diem proximũ, q decretorius erat, v decimũ perdurare* vt pateat ẽt de istis euacuationibus intelligi n tem⁹ q̃so verba. 3. epid. cõ. 2. ęgr. 8. *Quod sene fuit in causa, vt v ad septimũ viueret, q validis esset viribus nõ ppter solã ætatẽ* Vall sius *euacuationes symptomaticæ, & q̃ & tẽpore, & qa statim appar rũt, & qualitate ẽt malæ erãt* vt per textũ totũ patet, & q euacu tiones mortis citi⁹ causã fuissẽt, si validas nõ habuisset vires. Qu totũ elicitur ex Hyp. 1. aphor. 9. *Cõiectari autem oportet, an æger, victu sufficiat pdurare, donec morbus cõsistat, & nũqd prius ille de ciat, nec possit cũ victu pdurare, vel morbus ante deficiat, atq; hebet scat.* Et Gal. in com. & 3. de cris. c. 5. *Hyp. igitur ita inqt: Coniectu asseq oportet, an æger cũ eo victu vsq; ad morbi statũ perdurabit; vtrũq; ipse prius deficiet, neq; cũ eo victu perdurabit: vel morbus an finietur, & obtũdet; vidẽtur qdẽ, & Diocles, & Philistonicus, & Pr xagoras, & Philotimus, atq; omnes, vt ita dixerim, pbatissimi Med ci: nihil aliud melius inuenisse ad iudicandũ, nunquid ager saluabi aut morietur, nisi morbi magnitudinem, & naturæ robur.* & subdẽs 10. *Mortis autem dies præcognoscit, quãto superat morbus naturã, c siderãdo, & grauiores accessiones inspiciendo. Si. n. effatu dignus fuer excessus, & parũ resistere adhuc vis naturæ videatur, mors citò sub quet: si verò cõtraria affuerint, tardius.* Quod pluries in toto repet capite, & primo de dieb. decret. c. 11. & Mercurialis in com. cit. ap *Similiter vbi natura est victrix factura ante statũ, vel vbi morb atq; ea oĩa eo tendũt, vt Medicus debeat diligenter cõiectari, tũ de ma gnitudine morbi, atq; si virtus magna sit &c.* Cũ totũ salutis nego tiũ in robore viriũ consistat. Si ita res se habet. & ex Hyp. sẽtẽti priscorũq; auctorũ ante Gal. ac ipsiusmet Galeni salutẽ importuni existẽtibus, tũ spõte, tũ ex arte factis purgationibus (sicuti in quar to, vt quartus.) e robore viriũ minime ex eis euenire conspicitu Quomodo, quo iure, qua rõe, qua doctrina, qua methodo, qua auc toritate eis est attribuẽda salus? Cũ hæc ex sua natura, ppriaq; e sẽtia sint inartificiosæ atq; pessimæ plenæ pluribus periculis, vt e supradictis elucet. Quis modo sola experiẽtia purgationẽ quart die artificiosã, tutãq; esse, ita vt intermissa ea die id, nõ ex arte fa

ũ;ſed curatos eſſe eos caſu,& fortuna,aſſerere arrogans erit.

Satis abũde mihi videtur ex eorũ auctoritatibus potius cõtrariũ ciẽdũ q̃ in quarto purgandũ,ꝓbaſſe(ni fallor!)Nihilominus Perſpicaciſſimi Corteſii ſẽtentiã ex ſuis ſuppoſitis elucẽrẽ(quorũ,quæ eo diſcurſui sũt neceſſaria referã)niſi explicauero imperfectũ eius ſermonẽ opinor.Ob id ſuã limitationẽ, multis omiſſis nõ leuĩ indigẽtibus ꝓbatione,explicare ingredior. Primò: quomodo ſextus ſecũdi rõem habere põt ignoro.Cũ critici diei ſextus habeat rõem primo de dieb.c.2.& ex Paulo lib.2.c.7.*Peſſimus,& cũ periculo,& obſcure iudicãs,vel ex diametro ſeptimo oppoſitus ſextus eſt.*Et paulo infra *At Galenus etiã ſexti indicatoriũ eſſe dicit diem quartũ , etiã ſi ille nõ ſit bonus* & ex Auicen.li.4.ſen.2.tract.2.c.6. *Et quaſi cõtrariũ ſeptimo, & indicat quartus in malitia , & parũ q̃dem cõplectitur indicatio quarti;cũ bono niſi cũ difficultate:quare accidũt in ea ſigna morosa* & p̃cipue ſi quinto exacerbata ſint,cũ criſim p̃cedat perturbatio,ſi ib ſexto criſis vẽtura eſt,neceſſe eſt quinto oĩa exacerbari.3.de dieb.decr.c.8.*Tertius verò,& quintus , licet alia nulla rõe, quã quòd iuditia cũ acceſſionibus fiunt, coincidãt nõ minus quarto die decernũt;quoniã hoc ipsũ,& ab experientia teſtimoniũ habet , & rõe cõtemplãtibus nõ obſcura eius cauſa eſt.* Hinc elicitur ẽt vehementiã acceſſionũ futurã criſim aliquãdo oſtẽdere,cũ doceat ipſe 3. de criſibus c.4.Morbos acutos in duplici eſſe differẽtia : alios à materia ſãguinea;alios à bilioſa originẽ ducere ; à bilioſa verò de tertio in tertiũ exacerbationes vehemẽtiores habere vidẽtur, quarũ analogia futurã criſim oſtẽdere põt.primo de dieb.decret.c.8.*At acceſſionũ analogiã ſic:imparibus diebus ſi æger magis laborarit,propriũ magis diei imparis iuditiũ:quemadmodũ ſi paribus illius propriũ:nã in acceſſionibus,vt plurimũ,iudicia cõtingunt:*In iſtis 1.& 3.acceſſiones polsũt apparere mites,dũ habẽt rõem principii.*In principio,et in fine oĩa sũt leuiora* quinta die exacerbari quarũ exacerbatio, vel ſit p̃sẽtis criſis Gal.de criſ.lib.3.c.4.*Et cauſa eſt,( quemadmodũ diximus in libris de diebus iudicatorijs ) vt criſis ſæpius in quarto die ad tertiũ,& ad quintũ trãſmutet &c.* & paulo infra *continuæ autem febres,q̃ in acceſſionibus criſim habent,tertio,vel quinto rõnabiliter finiuntur*

*niuntur* uel est futuræ crisis.s. in septimo, vel in sexto, cũ ad crisim siue bonã, siue malã nõ mediocres perturbationes p̃cedũt. 1. de diebus decret.c.1. de q̃bus intelligit Gal. exẽplaq; eorũ, q̃ hac die interierũt ab Hyp. allata tã in coac. q̃ in epid. sub accidere de morbis factis a bile: vt oĩbus notissimũ est: quoniã accessiones habẽt de tertio in tertiũ; cũ vero in quinto exacerbãtur, vt 1. de dieb. decr. c. 5. *secundã vim obtinet quintus, & post hunc tertius*, & 2. de dieb. decr. c. vl. *si quis frenitide quinto die laborare ceperit* ei deberet correspõdere septimus, cui si correspõdeat sextus, & ea, q̃ accidere septimo deberẽt sexto accident, antecederent & malũ, vt exemplo à fortiori 3. de cris. explicat Gal. c. 5. *esto igitur, vt in die quartodecimo spes sit fore statum, & aut ob morbi magitudinem, vel motus velocitatem, vel propter aliq̃ aliud extrinsecum irritamẽtũ crisis die vndecimo anticipet: neq; ipsã perfectã, neq; oĩno bonã quimus sperare: sed hoc tẽpore oĩnò timẽdũ est, præsertim si neq; in totũ morbus periculo vacat*. Quod etiã scripsit Auicen. li. 4. fen. 2. tract. 2. c. 5. *Verũ quãdo accidit illud accidẽs, & est, forte declinat hora & tardat, aut antecedit: & si fuerit debilis, fit difficilis crisis. Et p̄hibet eã ne sit cõpleta, & nominãter dies, in q̃bus cadit hæc reflexio dies cadẽtes in medio, & habẽt iuditia dierũ crisis ex parte, & isti dies sũt sicut tertius, quintus, & sextus &c.* Quod repetere videtur c. 9. versiculo *cum ergo apparent*.

Ex q̃bus elicitur indicẽ tardare posse; & id, q̄ euenire quarto debebat, quinto euenire, & crisim, q̃ septimo, euenire quinto, & sexto vel p̄pter intrinsecã causã, vel p̄pter extrinsecam, vel q̄a de tertio in tertiũ vehemẽtes eueniũt accessiones, eadẽ ẽt rõe & ea, & crisis variare possũt; & sexto, & quinto euenire, q̃ quarto, & septimo futura erãt, q̃ nullo modo in secũdo accidere possũt. Cũ non possit neq; indicis, neq; crisis; sed principii rõem habere 1. de dieb. decr. c. 9. *Nã, si præceps, ac subita in ægrotãtis corpore perturbatio, morbi solutionẽ præcedens, crisis siue inditium nominatur, neq; primũ diem, neq; secundum decretorios esse censebimus, quia illa veluti fluctuatio, quæ solutionem præcedit, nequaquam in his est conspicua*.

Quæ vero post principiũ vehemẽtius exacerbãtur in statu morbi esse manifestant; & pugnã inter morbũ, & naturã 3. de cris. c. 10.

in principio vero irritamentũ. *Causa vero huius intempestiui a[...] tus est morbi violẽtia, irritatrix q̃dã existẽs, & acuta: videtur [...] natura nihil huiusmodi posse tollerare; sed statim properare ad ex[...] lendũ id, ꝙ infestat. Quæcumq; verò prærũpunt (vocat autẽ sic H[...] oĩa, q̃ ante statũ ad crisim ruũt) ob aliꝙ irritamentũ id patiũtur [...] tãto deterior fit crisis, quã illa, q̃ in statu fit, quãto magis anticipa[...]* His suppositis, atq; cõsideratis: quomodo sextus possit secũdi rõ[...] habere, capere nõ possũ: quoniã quinti illa exacerbatio vel futu[...] crisis in sexto malæ est, quã Medicus imitare nõ debet, cũ sit mi[...] ster naturæ benè operãtis, vel in septimo bonæ exacerbatio pri[...] vel secunda, vel est irritamẽtũ, vt dictũ est, vel turgẽtia materiæ[...] inuasionẽ, & morẽ morbi tantũ ostendit. cit. 3. de cris. c. 4. in seq[...] tibus vero diebus statũ morbi, cũ. s. natura crisim tẽtare conatur[...] ad eã nõ mediocres in corpere ægrotãtis perturbationes ante[...] dũt. (Nox p̃cedẽs laboriosa) Quarũ q̃dã statũ morbi. Quædã 3. [...] cris. c. 2. p̃sentẽ crisim; Quædã futurã, q̃dã malã, & statim homin[...] interficiẽt, vel tantumodo nocebũt. Quædã deniq; nõ solũ crisis [...] gna; sed etiã causas cit. de cris. c. 11. vnde patet; ꝙ, q̃ sequẽtibus [...] xacerbãtur, statũ morbi, & naturã tentare, vel perficere crisim s[...] bonã, siue malã significãt: q̃ q̃dẽ nõ irritãda medicamẽto cũ nõ s[...] per secessũ tẽtet; sed aliquãdo per sudorẽ, aliquãdo per vomitũ, [...] quãdo per fluxũ sanguinis nariũ, hemorroidũ, mestruorũ, vel p[...] aliquid aliud: c. 10. & 11. cit. 3. de cris. vnde si esset adiuuãda, q[...] vergit, deberet esse; & per loca cõferẽtia, & hoc innuere vult Sapi[...] issimus Cortesius per illa, verba fortasse. *Si purgatio fuerit necess[...] ia* sed q̃ supponit, vt plurimũ, necessariã esse, cum sextus habe[...] per ipsũ rõem secũdi diei, in quo solet turgere materia, intellige[...] õ valeo: neq; ex toto laudare queo; cũ exacerbationes sequẽtib[...] iebus sint signũ augmẽti, cuius sola rõne melius est quietẽ hab[...] e; ꝙ exẽplo declarare me opinor. Tẽtet v. g. natura die aliquo [...] equẽtibus vel indicatorio, v. g. in quarto, crisim per vomitũ nece[...] est aliquã adesse exacerbationẽ quarto, q̃ nõ fuerit, neq; prim[...] eq; secundo, etsi fuerit, non sicuti in quarto; quia tũc natura m[...] et, liceret ne Medico, quia videt in quarto huiusmodi exacerb[...]

tionem

tionem quinto, vel sexto finem imponere motui;& asserere quintũ, vel sextum habere rõem secundi? credo nõ. sed septimũ exp:ctare, q. si septimus anticipauerit, mala crisis est, vt dictũ est. *Si* verò septimo nõ accidit, octauo arte perficienda: vt cũ Gal. atq; Fernelio iã supra probatũ est:& ratio, esse potest. Dũ natura mouet, noli moue e tu hora motus eius; hora motus eius in casu est à quarto ad septimum: si quinto,& sexto motu symptomatico mouet. docet Gal. 3. it. de cris. c. 3. *Secundũ autẽ, quod ab aliqua die indicatoria ante indicetur cui annexa est diei iudicantis potentia, deinceps autem inspiere oportet, & speciem morbi, & morem &c.* & paulo infra *Quorum ptimam qualis sit nunc enarramus, quod videlicet omnino sine coccione non est, & quod in aliquo die iudicatorio fit, ac propterea ab aliquo indicatorio præiudicata fuit &c.*

Fx quibus duo sequuntur. Sextum. s. nullo modo secundi rationem habere posse, neq; si in tertio exacerbentur, quarto purgandũ: uod forte sexti exemplo elicere intendunt; vt per decisionem viesimam Philippi Sauona Panormitani decisum patet. *Sed tertiam iem grauem habuit, & molestam, qua die interrogatus prædictus ræceptor meus dixit non mirum esse, quia dies tertius è iuditialibus rimus est, in quo natura solet aggredi præparationem, vel exclusioem materiæ morbificæ, & hac aggressione moueri exacerbationem; d febris quarto fuit exacerbata, cum vrinis prauis. vnde in maxio periculo versare puellam pronuntiauit dictus præceptor meus: & tio, quia mox, à tertia die, ob particularem materiæ motum, paroysmum attulit molestum, quæ subsequebatur dies leuior debebat es, vt solet esse, quæ paroxysmo succedit: vnde cum leuior non fuerit, ultam, aut acerrimam materiam significari, & quia quarta dies erat, magnam morbi acutiem denuntiari: est .n. quarta index sepmæ. vnde concludebat euidentissimum periculum: in hoc allegabat §. tandum certe ad text. allegatum 57. si etiam quarta dies tertiæ sile aliquid horum ipsorum habeat, in periculo ægrotus est. prædicto de acut. &c.*

Secundo à veritate alienissimum esse existimo quarta die. s. non eri indictiũ, vel iuditium in quibus materia diebus imparibus exasperatur;

asperatur;cum quartus ex sua natura sit indicatorius. 1. de dieb decr.c.5,&c.11.& pcipue in morbis acutis(in quibus purgandū i eo asserunt) *cum verè accuratè admodū acutus morbus obseruamus quartum diē septimi esse indicē,ex sua natura depræhendimus.* Quo repetit c.8.& 1.porret.tex.1. *Stillatio è naribus periculosa, tum quarto ceperit die* & 4.aphor.24.*Est index septimi* & aphor. 71. & pluribus in locis & pcipuè de dieb. decr. Sed ea q̄ septimo decer nuntur;diebus imparibus exasperātur, vt perspicacissimus Cortesius docet,& est pcipua ratio:cur,quādo purgādū, diebus paribus; ergo malè hac ratione,Nobilissimæ Messanæ Medic. quarto esse purgandum determinant;in qbus imparibus exasperantur diebus; neq; etiā,vt ipse docet.Cū etiā sit index sexti,q est par.3.de dieb. decr.c.8.*Qui in quarto ad peiorem recidunt, pleriq; sexto moriūtur.* Et ita patet esse indicē tum. q̄ paribus, tum q̄ imparibus exasperātur:ergo semper in eo fit iuditium,vel inditium: cum sit iudicatorius etiā in ijs Paulus lib.2.c.7. *Verū iuxta numerorum ordinē boni sunt tertius,quartus &c.*& Auicen.lib.4.fen.2.c.7. *deinde quintus, posteo quartus* sed clarius 1.de dieb.decr.c.11.*Si namq; multa,manaq;die quarto eueniunt, accessionibus,distinguendum erit de morte futura: adhæc cognoscendum hominem sexto die moriturum esse,modò accessio diebus paribus facta sit,si imparibus septimo.Interdum sextus hominem iugulat,etiam si accessio contingerit in imparibus,ppter mor bi celeritatem,& magnitudinem,& symptomatum in quarto die euenientium copiam.*Quod etiā docet Cælsus lib.3.c.4. *Est etiam apud Hyp. ei,quem septimus dies liberaturus sit,quartum esse grauissimum, ta illo quoq; auctore,in die pari,& grauior febris esse potest, & certa futuri nota. Atq;idem alio loco quartum quemq; diem, vt vtrumq; efficacissimum apprehendit* vt optimé Sauona loco citat.cognouit.

Si quartus,vt plurimum est,in augmento,vel in statu, ( in quibus melius est quietem habere)& index septimi, & dies iudicatorius,& in eo euenire possunt exacerbationes tam si imparibus,quā paribus exacerbetur materia, quomodo potest in eo purgatio esse tuta, & ex arte facta,ita vt intermissa ea die id non ex arte factum;sed curatos esse eos casu & fortuna ?

F I N I S.